CONSTITVTIONES ET DECRETA EDITA IN SYNODO DIOECESANA CONSENTINA PRIMA.

*QVAM REVERENDISSIMVS D. IOANNES BAPTISTA *Archiepiscopus Consentinus Habuit.*

ANNO MDXCII. DIE XVIII. OCTOBRIS, IN ECCLESIA METROPOLITANA.

ECCE QVI



ECCE HOMO · TOLLIT PECCATA MVNDI.



CONSENTIAE.. Apud Aloysium Castellanum, & Leonardum Angrisanum Socios. 1593.

SVPERIORVM PERMISSV.

…ncilium provinciale laudat pag: 7. à 8. à 20. à 22 à
et indicit aliud pag: 57.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

NOS IOANNES BAPTISTA, MISERATIONE DIVINA ARCHIEPISCOPVS CONSENTINVS, *Ad Dei omnipotentis, Beatæq; MARIAE semper Virginis, ac sancti Michaelis Archangeli, & sancti Francisci de Paula Patronorum nostrorum laudem: Hæc pro Cleri, Populiq; fidei nostræ concrediti reformatione, & in Christiana disciplina progressu, præsenti nostra Diœcesana Synodo prima, decernimus, statuimus, atque sancimus.*

DECRETORVM SYNODALIVM PARS PRIMA,

DE IIS QVAE AD DIVINVM CVLTVM PERTINENT.



DE FIDEI PROFESSIONE.

DECRETVM PRIMVM.

SANCTAE Fidei ſcutum aduerſus ignea Tela nequiſſimi ante omnia Synodus hæc, Patrum exemplo ſibi aſſumens, vt firmiſſimum iaciat fundamentum, contrà quod ne ipſæ quidem Inferi portæ valeant præualere; eandem Orthodoxam Fidem, iuxta Sacroſancti Tridentini Concilij Decretum, & Fœl. Rec. Pij IIII. Bullam vnanimi conſenſu, atque alacri obedientia profitetur. Simulq; ea omnia, & ſingula, quæ ab eadem Sacroſancta Trid. Synodo definita, atque ſtatuta ſunt; ea qua par eſt, reuerentia, humiliq; obſequio amplectitur, recipit, atque veneratur; Atque adeò pro viribus obſeruare, quę ibi decreta ſunt, cupiens, ſtatuit, vt eandem Fidei profeſſionem, iuxtà formulam ab eodem Pio IIII. Summo Pontifice traditam, omnes, & ſinguli inferius adnotandi, poſt duos menſes ab huius decreti publicatione, in noſtris, aut noſtri Vicarij manibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, emittere teneantur, ſi tamen id aliàs coram nobis, vel noſtro Vicario, aut noſtris Prædeceſſoribus non præſtiterint. Trid. Seſſ. 25. c. 2. de reform.

Qui beneficia Eccleſiaſtica obtinent, & in poſterum obtinebunt,

 infra

infra duos menses à die adeptæ possessionis, alioquin fructus restituant, cum nihil eis possessio suffragetur.

Qui Synodo Prouinciali, aut Diœcesanæ de iure, siuè de consuetudine, interesse debent.

Prouisi de Canonicatibus, in manibus Archiepiscopi, & Capituli.

Promouendi ad doctorales, seù alios gradus.

Qui quouis modo, vel nomine publicè, vel priuatim, domi suæ, vel alienæ, etiam si Pedagogi sint, pueros, adolescentes, aliosvè cuiusuis sexus, & ætatis, quascunq; litterarias, vel etiam liberales, etiam in Arithmeticam, Musicam, vel cuiusuis generis artes, etiam si ipsa prima Grammaticæ rudimenta, legendo, interpretando, vel alia quauis ratione, etiam si gratis docent, cuiusuis status, conditionis, & dignitatis sint, ijs, qui secus fecerint interdicta sit potestas docendi, & nihilominus obedire recusantes excommunicationis sententia feriantur. Parochi verò, statim, ac aliquis in suo Oppido, seu Pago, ad docendum Grammaticam, siuè alias disciplinas, vt supradictum est, accesserint, ad nos statim deferant, vt scire possimus, nam ille Fidei professionem emiserit.

Regulares item omnes concionari volentes, qui aliàs coram huius diœcesis ordinarijs id non præstiterint.

Confessarij omnes.

Aduocati, & Procuratores, in causis S. Fidei suscipiẽdis, agendisvè.

Examinatores, & Iudices Synodales.

Promouendi ad Sacros Ordines, pridie, quam ordinentur.

De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum, & de Indulgentijs.

Trid. Sess. 25. c. f. 225



Leri, ac Populi nostri Consentini pium studium summopere comendat hęc Synodus, quo præterito anno 1592 Beatissimum Franciscum de Paula Seculi huius lumen eximium, nostræ verò Ciuitatis, atq; adeò diœcesis; (cuius non ignobile Oppidum, Paula est), ingens post omnium hominum memoriam decus, & gloria, in peculiarem Patronum summa omnium gratulatione, ac maxima sibi deuotione asciuit, eiq; publico se voto deuinxit.

Volens igitur pium hoc opus omni tẽpore firmum, ratumq; permanere eximio omnium, qui in ea adsunt gaudio, & toto cordis, ac mẽtis affectu, eundem Virum de Christiana Republica adeò benemeritum,

in Patronum Titularē Ciuitati, ac Diœcesi Consentinæ, supplici prece assumit. Quod etiā publica Synodali actione, die 3. præsentis huius Synodi testatū voluit, Sacrificio Missę ad eius honorē solēniter celebrato.

Sanctorū Reliquię, quę in Metropolitana Ecclesia asseruātur, decentiori loco quamprimū reponantur, eę verò populo ne ostendantur sine expressa nostra licentia, eoq; minus ijs Altaribus superponantur, quæ tēpore Iubilęi ad colligendas pro pauperibus eleemosynas extruūtur.

De Sancto autem, cuius insignis Reliquia in Ecclesia extat, duplex officium ibi fiat, si alioquin nō fieret, eodemq; die solenne Sacrum peragatur, solennisq; per Ecclesiæ circuitum supplicatio habeatur.

Sanctorum Imagines posthac, neq; in tabula depictæ, in Ecclesijs publicè ponantur, neq; in parietibus depingantur sine expressa Testis Synodalis licentia; Cui Pictores, atq; Sculptores faciendę Figuræ, seu Statuæ, Exēplar exhibeāt, eius verò muneris sit, examinare an aliqd prophani, inhonesti, aut indecori cōtineant, quo fideliū mētes, oculiq; offendi possint, neq; tū demū apponātur, nisi prius solita prece ijs benedicatur.

Repræsentationes Sacrarū Actionum, neq; hebdomadæ Sāctę tempore, neq; aliàs vllo pacto sine nostra in scriptis licētia fiant. Quam ob rē districtè prohibeant Parochi, ne vnquam carmina, siuè vulgari, siuè latino idiomate de rebus Sacris, neq; in Ecclesia, neq; extrà, sine eadē nostra in scriptis licentia recitentur; Ideoq; interdicimus laicis, qui in hebdomada Sācta, in nostra Ciuitate, Apostolico vestitu incedere solebant, ne posthac quicquā simile audeant, sub Excōmunicationis pęna.

Quod peculiari nostro edicto aliàs proximè præterita Quadragesima decretū est, id omninò obseruetur, vt sexta quaq; feria in singulas hebdomadas paulò antè horam nonam signum in vnaquaque Ecclesia campanæ pulsu detur, quo fideles admoniti eadem hora Iesu Christi Domini Passionem, omni intima mentis pietate recolant.


Agnoscentes insuper Rectorum in animarū salute procurāda imbecillitatē, rei magnitudinē, ac officij graue pondus; Ideoq; sine intermissione cōtinuū, nobis postulandū esse à Deo auxiliū ad intemeratæ Virginis Deiparæ Metropolitanæ huius Ecclesiæ præcipuę Patronę propitiū patrocinium, sępiùs confugiēdum esse decreuimus. Cuius assiduis precibus ad regendū Populū pretioso Christi sanguine redēptum idoneos ministros habere mereamur; Ideoq; hortamur oēs, & singulos Rectores, Curatos, & Cappellanos, vt singulis Sabbatis per annū, omnibusq; vigilijs festiuitatū D.N. Iesu Christi, ac eiusdem B. Virginis, occidente Sole, nō tamen post occasum, cāpanæ signo solēniter dato, popu-

 lum

ſum ad Eccleſiam cõuocent; ibiq; omnes ſimul illius Eccleſiæ Clerici, tàm in ſacris, quàm in minoribus litanias recitent, ſeu cantẽt eiuſdem Virginis Dei Genitricis, & in fine Antiphonam tempori congruentem; Quod, vt eo libentius exequantur, ſingulis, qui pio huic officio interfuerunt, viginti dies Indulgentiæ elargimus.

De Sacroſanctis Eccleſijs. Decretum III.

Trid. ſeſſ. 22 de.e.de obſer & euit. in celebratione Miſſæ.



Ecclesiae, ſeu Cappellæ, & Oratoria priuata, ad Diuinum Cultum, tantum dicata, ſine noſtra licentia ne erigantur, nec dirutæ, in prophanos, & ſordidos vſus conuertantur.

Zelum domus Dei, quam (teſtante Propheta) decet Sanctitudo, zelatus Gregorius X Pontifex Max. in Lugdunenſi generali Concilio, multa Sanctè edidit, quò in Sacroſanctis Eccleſijs, (qua decet reuerentia) Chriſti fideles conuerſarentur, Sanctum etiam Tridentinum Concilium, pleraque locorum Ordinarijs diſtrictè præcepit, vt prophana colloquia, aliaq; id genus ab Eccleſijs arcerentur, vt verè domus Dei, domus orationis eſſe cognoſcatur. Pius tandem V. recolendæ, ſanctæq; memoriæ Pontifex, generalium horum Conciliorum decreta omnimodè obſeruari volens, exactam illã edidit Conſtitutionem de Sanctarum Eccleſiarum veneratione, qua præcipuè huiuſmodi obſeruatio, Epiſcopis diſtrictè mandatur.

Nos igitur Sanctorum Conciliorum, & Summorum Pontificum decretis obtemperantes, hæc pro debito Eccleſiarum Regularium, ac Secularium noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis cultu, ac veneratione ſtatuimus.

Quæ item in certam quandam formulam communi ſermone conſcriptam redigi volumus, eamq; bis in anno primis ſ. Aduentus, & Quadrageſimæ, Dominicis diebus, populo promulgari inſtar primæ, ſecundæ, ac tertiæ monitionis, vt inobedientes grauioribus, & interdicti ingreſſus Eccleſiæ, & Excõmunicationis pœnis afficere valeamus.

In primis ergo nemini laicorum cuiuſuis gradus, dignitatis, & conditionis exiſtat, Septa, ſiue Cancella, ſeu Chorum dum diuina celebrantur officia, præterquam ad Sacramenta recipienda ingredi liceat.

Nemini item in Eccleſijs vllo vnquam tempore deambulare, eoq; minus in circulis permanere, præterquam Concionis, lectionis, aut alterius Eccleſiaſticæ lectionis cauſſà.

Altaribus,

Altaribus, Aquę benedictæ, itéq; Baptismatis Fótibus ne innitátur.

Nullo strepitu, diuina perturbent officia.

Ad Templi ianuas ne auerso corpore se collocent, sed aduerso Eucharistiæ augustissimo Sacramento.

Absint omninò scurrilia, secularia negotia, inanes allocutiones (&) quæ minus Dei, peculiari modo in Ecclesia, præsentem Maiestatem deceret, rerum inanium, turpium, aut obscœnarum confabulationes.

Nemo præforibus Ecclesiæ sacro, aut Diuinis intersit officijs, nisi vbi præ loci angustia, aut Populi numero aliter fieri nequeat.

Accipitres, Canes, aut venatoria instrumenta, neque item Sclopos vlla de causa introducat.

Nemo propius Altaris gradus accedat, Sacerdote celebrante, sed congrua distantia reuerenter adsistat.

Pauperes mendicantes, siuè proprio, siuè cuiusq; pij loci nomine Ecclesiam circumire, à Parochis, & Sacristis ne permittantur, sed antè earum fores omninò permaneant.

Ibi verò nihil, neq; etiam ad pios vsus venale proponi sinant.

In Ecclesijs, Cœmeterijs, atq; Atrijs nihil prophanum exerceatur, sententiæ, neq; ciuilium, neq; criminalium causarum proferantur, neque item processus, contractus, publicauè comitia, aut concilia habeantur.

Nihil, neq; sordidum, neq; indecens ibi, aut in Cœmeterio proijciatur, reponaturuè.

Mulieres, ac viri, tùm extrà, tùm intrà Missæ celebrationem, loquentes à Sacerdotibus reprehendantur.

Nemo quicquam, vel minimum aut parui momenti comedere ibi audeat, tantoq; minus commessationes, aut ientacula permittantur, memores Apostolicæ illius obiurgationis, nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Nullo vnquam tempore ibidem pernoctetur.

Mulieres cadauera Defunctorum prosequentes, Ecclesias ad plorandum ingredi volentes, à Parochis, & Sacristis arceantur, ingressæ eijciantur, neque vllo pacto ingredi permittantur, etiam si fores obserare oporteret, ac multò minus (quod nonnullis in locis obseruari audiuimus) post aliquot dies ad plorandum conuenire permittantur.

Regulares verò meminerint præcepti sibi illis in litteris à Pio V. impositi destinandi. s. in suis Ecclesijs certum hominem, qui contra hæc facientes, ab ijs eijciat. Mulieribus autem omnino cadauer sequi volentibus,

lentibus,& Ecclesiā ingressis,plorantibus, aut non leuent è domo, aut in via sistant,aut officium deserant,sub pœna interdicti.

Moneantur à Parochis sępius fideles, vt frequenter iuxtà Trid. Decretum ad proprias Parochiales Ecclesias, saltem Dominicis diebus, ac Festis maioribus accedant. Nos autem monemus,& obsecramus omnes,vt quamuis in suis vicinijs Oppidis,aut Villis, Oratoria, Capellas, aliasvè Ecclesias habeant, ijs tamen diebus ad Parochialem suam Ecclesiam conueniant, vt à proprio Parocho edoceri possint ea quę scire tenentur; Vt autem hac de re eos sępius Rectores admonere valeant, certam quandam monitionis huiusce formulam vulgari idiomate conscriptam in fine huius Synodi apponi mandauimus.

De Festorum Dierum obseruatione. Decretum IIII.

NVLLVS maior in nostra hac Diœcesi,& Ciuitatę inoleuit abusus, quàm Festorum dierum transgressio. Ideoq; diuino huic pręcepto obseruando, inuigilabunt omni cura, ac diligentia Parochi, qui sępiùs inter Missarum solennia Populum moneant festos dies institutos,quò spirituali animę quieti attendant, diuinoq; cultui vacent non autem ad corporis tantum taxat quietem,& solatium; Quam ob rē non tantum secularibus negotijs,atq; mechanicis operibus solutos esse, verum etiam otium omnium malorum radicem euitare oportere, in aliquo spirituali opere se exercere, Missę solenni, Prędicationi Diuini Verbi,ac Vesperis interesse,Ecclesias,ac pia loca visitare,& (quod omnium maximum est) peccata confessionibus expiare.

Neq; verò minus erit curandum personis, quibus id munus demandabimus, vt edicta aliàs à nobis,seu nostris Prędecessoribus super hac re preposita seruentur,quibus cauetur quid licitum, quidvè eo tēpore sit prohibitum; ea autem edicta bis in anno,prima scilicet die Dominica Quadragesimę,& Kalendis Ianuarij,quibusq; in Ecclesijs Populo promulgentur,ac postmodum ibi affixa permaneant.

Porrò sicuti ad eorum prudentiam spectabit in huiusmodi negotio ergà pauperes graui necessitate oppressos,omne pietatis officium prę- stare ità grauiter, & seuerè in alios dierum festorum violatores animaduer-

maduertere, certisq; pro qualitate personę, & delicti pecuniarijs pœnis eos afficere, quę locis pijs, in fine cuiuslibet mensis, postquam ad nos retulerint applicentur. Aduertant autem omnes festi diei initium, sub pręcepto, obligare à media noctę, quę illius diei celebritatem proximè pręcedit, vsq; ad sequentem mediam noctem.

Nundinę, siue mercatus (vt multi vocant) quę pessimo quodam abusu in Ciuitate Montis Alti huius Diœcesis, quibusq; diebus Dominicis fieri consueuerant, omninò prohibentur; ex quo compertum est nō solùm in ipsa Ciuitate, verùm & alijs in locis, atq; oppidis, tàm Diœcesis nostræ, quàm Prouinciæ, ex tàm impia cōsuetudine, dies festos semper violari, igitur transferantur in feriam secundam sequentem, vel commodiorem diem, dummodo festo ex præcepto non est impedita. Quę verò semel in hebdomada, die Sabbati in nostra Ciuitate haberi consueuerunt, si in diem festum ex præcepto incidant, anticipētur, aut postponantur in diem simili festo nōn impeditam; Qui verò secus fecerint, secundum sacros Canones, & ad nostrum arbitrium, æstimata rerum, & personarum qualitate punientur.

Sanctissima Natalis Domini vigilia, die, ac nocte, nemini ludo aliquo ludere liceat, proposita excommunicationis pœna.

Itemq; commessationes, cæteràq; eiusmodi impia Demonis inuenta, quæ tunc temporis exerceri solent, à Concionatoribus in quarta Dominica Aduentus acriter reprehendantur.

Diebus festis manè exequię aut Missę defunctorum nē celebrentur, etiam si ipsa dies obitus defuncti sit, eoq; minus eorum cadauera manè sepeliantur, ne populus à diuinis officijs distrahatur, poterunt autem à prandio sepeliri.

Et vt Clerici, qui exemplo alijs pręire debēt, diebus festis in spiritualibus exercitijs, prout par est, occupētur; statuimus vt singuli clerici nostræ Ciuitatis diebus festis post vesperas in Metropolitana Ecclesia intersint, oratorio, vbi habebitur sermo de festiuitate illius diei, fierǫ; cōferētię, tū de rebus spiritualibus; tū de pertinētibus ad statū clericalem.

Dierum festorū, qui in Vrbe, atq; Diœcesi coli, vigiliarū itē, quæ ieiunio obseruari debēt, tabula perpetuò in perspicuo aliquo Ecclesiæ loco affixa permaneat, publicēturq; à Parochis inter Missarū solēnia singulis Dominicis, tū festi dies, tū vigiliæ, quę in illā hebdomadā incidēt.

Sanctorum Ianuarij, & Sociorum festum 19. die Septembris ex præcepto fœlicis R. Gregorij Papæ xiiij. obseruetur. eorumq; officium duplici ritu celebretur.

Kalen-

Kalendarium Festorum dierum.

Ianuarius.

1 Circumcisio Domini nostri Iesu Christi.
6 Epiphania Domini.

Februarius.

2 Purificatio Beatæ Virginis.
24 Matthiæ Apostoli.

Martius.

7 Thomæ de Aquino.
25 Annunciatio B. Mariæ Virginis.

Aprilis.

2 Francisci de Paulæ.
25 Marci Euangelistæ.

Maius.

1 Philippi, & Iacobi Apostolorum.
3 Inuentio sanctæ Crucis.

Iunius.

24 Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
29 Petri, & Pauli Apostolorum.

Iulius.

25 Iacobi Maioris.

Augustus

Augustus.

10 Laurentij Martyris.
15 Assumptio B. Mariæ Virginis.
28 Bartholomæi Apostoli.

September.

8 Natiuitas B. Mariæ Virginis.
19 Ianuarij, & Sociorum Martyrum.
21 Matthæi Apostoli.
29 Dedicatio Basilicæ Sancti Michaelis Archangeli.

October.

18 Lucæ Euangelistæ ex deuotione.
28 Simonis, & Iudæ Apostolorum.

Nouember.

1 Omnium Sanctorum.
11 Martini Episcopi, & Confessoris.
30 Andreæ Apostoli.

December.

8 Conceptio B. Mariæ Virginis.
21 Thomæ Apostoli.
25 Natiuitas D. N. Iesu Christi.
26 Stephani Prothomartyris.
27 Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.

Festa Mobilia.

Omnes Dominicæ totius Anni.

Feria V. in Cœna Domini per horas Missarum.
Pascha Resurrectionis D. N. Iesu Christi, cum duobus sequentibus diebus.
Ascensio D. N. Iesu Christi.
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus.
Festum Sanctissimi Corporis Christi.

Præterea dies festos Patronorum quarumcunq; Ecclesiarum, & alios, qui peculiari quadam deuotione, & laudabili consuetudine nonnullis in locis huius diœcesis obseruari consueuerunt, sanctificandos, ac fideliter obseruandos, Parochi curent.

Vigiliæ, quæ ieiunari debent in nostra Ciuitate, & Diœcesi ex præcepto.

Vigilia Natiuitatis Domini.
Vigilia Pentecostes.
Vigilia Assumptionis B. Mariæ.
Vigilia Sanctorum singulorum Apostolorum, præterquam Sanctorum Ioannis Euangelistæ, & Philippi, & Iacobi Apostolorum.
Vigilia festi omnium Sanctorum.
Vigilia Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ.
Vigilia B. Laurentij Martyris.

Vigiliæ ad quas exhortandi sunt Clerici, & Laici ex deuotionis officio.

Vigilia Epiphaniæ.
Vigilia Sancti Francisci de Paulâ Patroni.
Vigilia Ascensionis Domini.
Vigilia Sanctissimi Corporis Christi.
Vigilia Natiuitatis B. Virginis.

De Ieiunijs obseruandis. Decretum V.

QVI in Quadragesimæ, alijsvè ieiunij diebus, vetitos cibos edere cogentur, id sine nostra, vel eorum, quibus id muneris demandabitur in scriptis licentia, ne audeant; nobis autem Medici scriptum testimonium præbeant de illorum vrgenti necessitate: ijs autem in locis vbi copia Medicorum non suppetit, ægrotis licentiam impertiantur Parochi, quorum hac in re conscientiam oneramus, seruata tamen forma, præscriptarum facultatum, quas pro tempore, durante tamen necessitate ipsi concedant. Qui item potissimum inspiciant, ne leui de causa passim omnibus id permittant, & in testimonijs conficiendis tali cautione vtantur, nè nocuos cibos cum vetitis, ne ve gulæ lenocinia intermisceant, idq; in fide, quam subscribent, distinctè exprimant.

In cęteris verò Quadragesimali tempore obseruandis, seruetur nostrum super hac re edictum, quod singulis Dominicis Quinquagesimæ in Ciuitate, & diœcesi promulgari præcipimus.

De Diuinis officijs, & sacris Cæremonijs. Decretum VI.

ORDINARIVM officij, & Missarum iuxtà Seriem Breuiarij Romani ad vsum nostræ diœcesis, quot annis diebus labentis, & incipientis anni à duobus viris Religiosis per nos deputandis perficiatur appositis Sanctorum officijs ex præcepto Summorum Pontificum Gregorij XIII. Sixti V. & Gregorij XIIII. celebrandis, iuxtà quem ritum, & officia diuina, & Missæ persoluantur; eius verò seriem, quod ad Missas attinet, qualibet hebdomada Sacrista transcribat, eamq; tabellæ affixam in Sacristia publicè proponat; Quod verò spectat ad officium, Cantoris munus erit attendere, vt iuxta ordinarij prædicti rationem, persoluatur.

Qui item curabit vt in choro deinceps B. Virginis officium ijs diebus, quibus ex Rubricis Romani Breuiarij licebit, omninò recitetur.

Cum autem nihil appareat in domo Dei decentius, nihil Populorum oculis admirabilius, nihil sanctius elucescat; quam Clericorum in diuinis officijs persoluendis, sacrisq; Ceremonijs ritè obeundis diligens studium, ac sedula diligentia, cumq; scriptum sit, Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter; Animaduertens hæc Synodus, quam negligenter, & quanta cum animi tepiditate ab huius diœcesis clericis sacra tractentur, adeò vt nihil minus curare videantur, quam officium quod exercent, ipsamq; militiam, cui nomen dederunt, ac sortem Domini, ad quam vocati sunt. Volensq; tanto malo (vt par est) obuiare, enixè primum hortatur, monetq; Clericos omnes, meminerint se diuino cultui mancipatos, nihil prorsus cum terrenis negotijs habere commune, nisi quantum mortalis huius vitæ necessitas postulat, suspici se ab omnibus, ac venerari si sacris officijs, ea, qua decet reuerentia, ac grauitate sedulam nauent operam; despici è contra, & vituperari eorum ministerium, ipsosq; dum negligenter opus suum agunt.

Illud ergò diligenter attendant oportet, dum in Choro Diuina persoluunt officia, ne priusquam Clerici alterius Chori versiculum absoluerint, qui altera ex parte consident alium versiculum incipiant.

Quamobrem præcipimus Cantori, vt posthac Clepsydra apposita certum spatium Matutinis, horis, ac Missæ Maiori assignet, certum item vesperis, & Completorio: Porrò Matutinum semper ante Solis ortum inchoetur.

Cantoris item, vel Succentoris munus erit, antequam Diuina incipiantur officia inuenire, præparare, & disponere ea, quæ in officio illius diei recitanda, canendaue erunt, ne illis inueniendis deinde tempus conteratur. Ij verò quibus iniunctæ erunt lectiones, & huiusmodi alia, siuè canenda, siuè legenda, prius ea perlegant, ne deinde non sinè astantium scandalo, id perperàm exequantur.

In Choro silentium seruetur ab omnibus, in quo diligenter præsertim attendat Cantor; nemo à suo loco abscedat non missus, vel non vocatus ab eo, qui Choro præest; nemo cum altero loquatur; sed si quid necessariò de re aliqua loquendum erit, dimissa voce, paucisq; verbis loquantur, nemo item priuatim officium recitet; sed cum alijs canat.

Chirothecæ eò ne deferantur: cogitet tandem quisquis illuc accedit,

dit,

dit, Tremendo Diuinæ Maiestatis conspectui adstare, ac proindè, quia par est humilitate, corporis, animiq; compositione, quod agit attendat, pariq; animi feruore, grauitate, & deuotione, diuinis attendat officijs, distinctè, & attentè, voluntarias mentis euagationes effugiat, ne populi illius notam incurrat; de quo dictum est Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Quæ omnia a Basilicensi Concilio generali in approbatis Sessionibus optimè explanata hoc loco apponere visum est.

Si quis Principem sæculi rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoq; mente seipsum, ac verba studeat componere, quanto diligentiùs in hoc sacro loco omnipotentem oraturus Deum hæc omnia facere curabit? Statuit igitur hæc Sancta Synodus, vt in cunctis Cathedralibus, ac collegiatis ecclesijs, horis debitis signis, congrua pulsatione præmissis, laudes diuinæ, per singulas horas, non cursim, ac festinanter, sed tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet versiculi Psalmorum debitam faciendo inter solemne, & feriale officium differentiam reuerenter ab omnibus persoluantur: horas Canonicas dicturi cum tunica talari, ac suppelliceis mundis vltrà medias tibias, longis vel capillis iuxtà temporum, & regionum diuersitatem Ecclesias ingrediantur, non caputia, sed almutias, vel bireta tenentes in capite, qui cum in Choro fuerint grauitatem seruent, quam, & locus, & officium exigunt, non insimul aut cum alijs confabulantes, seu colloquentes, aut literas, seu scripturas alias legentes; & cum psallendi gratia ibidem conueniunt, muta, aut clausa labia tenere non debent, sed omnes præsertim, qui maiori funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, omnes consurgant; cum nominatur illud nomen gloriosum IESVS, in quo omne genu flectitur Cœlestium, terrestrium, & infernorum, omnes caput inclinent, nemo ibidem dum horæ in communi cantantur, legat, vel dicat priuatim officium. Nam non solum obsequium quo obnoxius è Choro subtrahit, sed alios psallentes perturbat. super his debitè obseruandis, alijsq; ad diuini officij prosequutionem, ac Chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit diligenter inuigilet hinc inde, ne quid inordinatè fiat circumspiciens, horum autem transgressores illius horę, in qua circa prędicta excesserint, vel alia maiori prout transgressionis grauitas exegerit plectantur poena. In supplicationibus, quę fiunt in die festo Sancti

Marci,

Marci, & ferijs Rogationum seruetur vsus ritualis Romani, abolito pœnitus Gallicano Ritu, cum illud officium multis abhinc annis nostra Ecclesia deseruerit: moneantur præterea populi die Dominico præcedente ipsas litanias, vt frequentes accedant, expliceturq; eis talium supplicationum institutum atque mysterium.

Ad cæteras verò publicas Processiones, Clerici omnes, cuiusvis ætatis, & ordinis, in Ecclesijs, quibus assignati sunt accedere compellantur. Qui vero neglexerint annotentur priusquam ecclesiam clerus egrediatur, vt corporali, siue pecuniaria pœna, pro delicti, ac personæ qualitate puniantur.

Vt autem tum Sacrista, tum cæteri Ecclesiæ Ministri, officium suũ ritè, rectèque exequi valeant; libellum instructorium singulorum officiorum confici, & imprimi seorsum ab hac Synodo mandauimus.

Et ne Canonici, aut reliqui Clerici nostræ Ciuitatis ignorent quibusnam diebus, nos Pontificalia munera, siue Cappellas, toto anni tempore celebraturi sumus, ne eorum absentiæ excusationis vlla detur occasio, præscribi dies, ac tempora Pontificalium actionum, in tabella, & perspicuo Sacristiæ loco affigi præcepimus.

Punctatores tàm qui à Capitulo, quàm qui a nobis iuxtà decretum Prouincialis Concilij eligentur, iurent quot annis in Synodo, munus suum omni humana affectione deposita, se exequuturos, eiusdemque Prouincialis Concilij decretum de libris conficiendis, & exequendis omnino obseruent. Qui verò præsentes in choro non erunt ad matutinum, & reliquas horas, ac item ad vesperas antè finem primi psalmi; ad missam antè finem primæ collectæ, perinde, ac si absentes fuissent, ab ijs punctis notentur: pari ratione, & ij qui chorum sinè superpelliceo, aut cum pileo intrabunt, aut cum alijs, dum diuina peragunt officia, aliquo notabili temporis spatio colloquentur; tales enim pro absentibus haberi volumus.

Quadragesimali tempore, singulis sextis ferijs septem psalmos pœnitentiales, ac litanias hora Completorij recitari iubemus ea ratione, qua in Breuiario Romano descriptæ sunt.

Porrò ad cantorem, ac succentorem spectabit attendere, vt diuinorum officiorum ratio, ab eodem Prouinciali Concilio tradita, & à nobis in supradicto libello de ecclesiasticis officijs explicata, à mansionarijs nostræ Ecclesiç, ad vnguem prorsus obseruetur. Mansionarij verò vt frequentius choro intersint, pro rata tantum temporis quo deseruient, stipendium accipiant.

Vt in sacris cęremonijs, quę non ab re à nostris maioribus, tanto studio sunt obseruatę, quęque spiritus nutrimenta sunt; populis verò, Christianę Religionis maiestatem indicant; ritè exoluendis, omni studio vacetur, Congregatio instituatur sacrorum rituum, cui ex Canonicis aliqui; nonnulli etiam ex Clero assignentur, qui assiduè vacent cęremonialis, & Pontificalis studio, vt quid in Missis, ac Vesperis, cęterisque muneribus Pontificalibus, per anni circulum obeundis, agendum sit, apprime dignoscere valeant.

Insigniora quędam huius diœcesis oppida, ob multitudinem populi numerosam; Parrochiales Ecclesias post Rectorum obitum, in collegiatas erigi, requirunt, cuiusmodi sunt, Ciuitas Montis Alti, Paula, Fuscaldum, Rende, Roblanum, Celicum, Fillenum, Zumpanum, & alia huiusmodi, vt hac ratione Clericis egentibus, ac item populo, diuinorum officiorum assidua recitatione consulatur. Quàobrem supplicandum erit super hoc negotio Sanctissimo Domino Nostro.

Interim verò, tũ in dictis, tum in alijs Ecclesijs, quibus Clerici plures duobus ascripti sunt, omnibus diebus festis ex pręcepto, itemq; tota hebdomada Sancta, tam primę vesperę, quàm reliqua diuina officia ab ijsdem persoluantur: & pręter hęc statuta anniuersaria pro defunctis, ad quę tenentur; negligentes ab Archipresbitero certis propositis pœnis accedere compellantur.


Clerici in minoribus constituti si in ijs Ecclesijs, quibus ascripti sunt diebus festis non inseruierint, franchitijs non gaudeant, pro diebus autem ferialibus seruetur constitutio nuper à nobis emanata.

Cappellani verò ijs Ecclesijs, in quibus oratoria obtinent diebus festis ad primas Vesperas, & Missas, ac etiam hebdomada sancta inseruire teneantur, qui secus fecerint, pro rata eorum dierum, quibus non inseruient, fructus illius diei amittant: quos ex oratorio percipiunt, eosque Archipresbiteri nostra authoritate sequestrent.

De Tra-

De Prædicatione Diuini Verbi.
Decretum VII.

Seſſ.24. c.4.



ONCIONATORES, qui Quadrageſimali, vel alio tempore, in Ciuitate, aut diœceſi prædicationis munere fungentur, eligantur probatæ vitæ, & doctrinæ; atq; ij, qui tanto muneri, ſi non pares, ſaltem non indigni cenſeantur. In primis verò, qui Chriſti Domini exemplum ſectari faciant prius, deinde doceant.

Antè omnia autem Fidei profeſsionem iuxtà formam a Pio IIII. traditam, ſi tamen aliàs coràm nobis id non præſtiterint in noſtri Vicarij, ſeu noſtris manibus omninò emittant.

Tum verò concionari non incipient, niſi accepta prius in ſcriptis facultate, cui admonitiones quædam ex noſtro Prouinciali Concilio, & aliunde collectas apponentur, quas omnimode ſeruare teneantur.

Concionaturi deindè in Quadrageſima, à Dominica Septuageſimę nobis ſe pręſentent, vt benedictione, & documentis aliquot acceptis, pręlicationem fructuoſius proſequantur; qua peracta ad nos iterum redeant quid ab ipſis ad Populorum, quibus euangelizauerunt, emendationem geſtum ſit, relaturi.

Neminem Populo paupertatis nomine, atq; adeò neq; ſemetipſos commendent, niſi à nobis, aut à noſtro Vicario teſtimonium paupertatis habuerint, vel demum ſine teſtis Synodalis licentia, qui illis tantum perſonis concedat, quę ſibi paupertatis titulo, notę fuerint. Neque indulgentias, aut noua miracula, abſq; noſtra licentia publicare audeant.

Nocturno tempore nunquam concionentur, primis verò Hebdomadę Sanctę diebus nempe Feria ſecunda, tertia & quarta, quadraginta horarum orationem habendam Populo curabunt.

Parochi omni conatu, ac diligentia inſtabunt, vt antè Paſcha Magiſtratus, ſiuè Electi Oppidorum, aut Villarum eleemoſinam pro Concionatore Archipresbytero perſoluant, ne poſtmodum vel illis denegetur, aut ſolui differatur: atq; adeò ne cogantur hac de cauſa non ſine magno eximij huius officij dedecore, ac ignominia Sęculares Iudices adire; quod ne omninò facere audeant monendi erunt, antequam Prędicationis munus ſuſcipiant. Qui verò ſecus eleemoſinas in iudicio

petent, quivè sic dederint, excommunicationi subiaceant.

Exactores, eleemosinarij, qui etiam questuarij vulgò dicuntur iuxtà Decretum Sacrosancti Tridentini Concilij omninò prohibeantur, & à diuini Verbi prædicatione opportunis remedijs arceantur. Ipsos denique Concionatores peracta prædicatione, Oppida, seu Villas, ad eleemosinas colligendas circumire, nullo modo Parochi permittant.

De Cathechismo legendo, & Doctrina Christiana docenda à Parochis.
Decretum VIII.



CVRENT Testes Synodales potissimum, vt Parochi Tridentinum Decretum exactè obseruent, quo iubentur festis, ac Dominicis diebus plebem sibi commissam pro eius captu salutaribus verbis pascere ea docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. Vitia prætereà, quæ homines fugere, & virtutes, quas sectari oportet. Qua de re omni prorsus via, ac ratione compellant eos ad legendum, explicandumq; populo Cathechismum Romanum Pij V. iussu editum, eoq; completo consimilem librum ab eis assignandum inter Missarum solemnia, per quartam horæ partem. Eos verò, qui neglexerint, grauiter arguant, & continuò ad nos deferant, vt super ijs debitè prouideatur, ac demum obseruetur constitutio nuper a nobis super hac re promulgata.

Solemnioribus verò diebus, nempè Natiuitatis Domini, hebdomadæ Sanctæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis Christi, eam Cathechismi partem populo explicent, quæ misteria nostræ Fidei continent, ita vt illius diei celebritas ex Cathechismi lectione populo innotescat, cuiusmodi erunt ex Symbolo Apostolorum, Articulus, Resurrexit a mortuis, in die Paschatis, Ascendit ad Cœlos in die Ascensionis, & his similia.

Quod satis commodè præstabunt, & facili, vel nullo negocio, si eo Cathechismo vtentur, quod Venetijs anno 1590. impressum est, cui locupletissimus præpositus est index Euangeliorum Dominicalium, & aliquorum festorum dierum, quo demonstratur quodnam Cathe-

chiſmi argumentum, ad quam partem cuiuslibet Euangelij refert, & accommodari poſſit. In ſolennitatibus Sanctorum, quæ ex præcepto obſeruantur peracto Miſſæ Sacrificio, ſiue à prandio, poſt doctrinæ Christianæ lectionem, prout eis oportunius videbitur, eorum Sanctorum vitas populo perlegant, quorum feſtum eo die celebratur; Quamobrem teneantur omnes Parochi vitas Sanctorum, approbato authore conſcriptas apud ſe habere, à Synodali teſte probandas. Dominicis autem diebus partem ſiuè caput aliquot ex pijs operibus fratris Aloyſij Granaten. aut alterius ſpiritualis operis ad noſtrum arbitrium, præſertim ex ijs quæ ad rectè faciendam peccatorum Confeſſionem, & ad præparationem, ac ſumptionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſpectant, explicabunt.

Porrò cum ad eam Cathechiſmi partem deuenient, qua diuina explicantur præcepta, diutius immorabuntur, vt exactè tradant populo differentiam inter venialia, ac mortalia peccata, quæ circunſtantiæ neceſſariò confitendæ; Quid ſit reſtitutio, & quibus in caſibus ea ſit facienda; qui vſurarij contractus, præſertim ijs in oppidis, vbi frequẽtes ſunt. Quàm formidanda ſit Excommunicationis ſententia ex eius effectu; quæ item requirantur in pœnitente, quo ritè ſua confiteatur peccata; Qui item defectus ex eius parte vitient Confeſſionem, adeò, vt neceſſariò ſit reiteranda, ac demum ijs vitijs extirpandis frequentius inſudent, quæ in populis ſibi commiſſis frequentiora deprehenderint; Quę omnia vulgari prorſus, ac vſitato eorum ſermone, ita facilè, ac apertè explicabunt, ac ſi familiariter, cum ijs loquerentur ità, vt etiam vel maximè rudibus mulieribus ſint intellectu facilia. Qui verò à Domino ampliori gratia, atq; eo munere digni facti ſunt, vt Sanctum Euangelium explicare poſſint, id etiam ſępè præſtabunt, dum tamen circa ea, quæ nuper diximus, eorum ſermo præcipuè verſetur, atq; inter hæc aliquandò ſacras Miſſæ ceremonias, ac miſteria eodem modo iuxtà temporis opportunitatem explicent.

Salutare inſtitutum docendi Chriſtianam doctrinam pueros Ciuitatis, ac diœceſis noſtræ frequens alibi, ac præcipuum curatorum munus, a noſtris iam pęnitus neglectum, omni ſtudio, omniq; conatu in vſum reuocari cupientes, præter ea, quæ aliàs pro hac re editis ordinibus præcepimus, quos tamen in ſuo robore permanere volumus, ac præter Sodalitates Chriſtianæ doctrinæ quibuſdam in locis a nobis conſtitutas, certis regulis aſſignatis, ac indulgentijs a Gregorio XIIII. Fęlicis Record. Summo Pont. nobis petentibus, conceſſis.

Hæc

Hæc insuper statuimus singuli Rectores Ecclesiarū, quibus cura animarum imminet Catalogum habeant puerorum omnium puellarūq; suæ Parochiæ, item & patrum familias, diebusq; Dominicis, & festis a prandio campanulæ signo pueros ad Ecclesiam conuocent; ità vt vbi plures suppetunt Sacerdotes, seu Clerici, per alios conuocent, at vbi non est Sacerdotum, vel Clericorum numerus ipsemet Parochus id præstet. Vbi verò ad Ecclesiam sufficiens eorum numerus peruenerit, e doceant eos, quę scire tenentur, iuxtà modum impressum in doctrina Christiana edita a Patribus Societatis IESV, illosq; alliciant imaginibus deuotis, vt potius amore, & spontè, quàm vi, & metu, salutarem doctrinam addiscant; Parentes verò, & patres familias sæpius moneant, vt filios seruos, & ancillas omnimodè mittant, aut secum adducant ad tam necessariam disciplinam addiscendam. Negligentes autem grauiter reprehendant.

Ludi Magistri, pręter peculiarem in Christiana doctrina docenda diligentiam feriatis diebus suis in scholis, teneantur pręterea monere discipulos, ac per se ipsos, aut per alios ad Ecclesiam conuocatos festis diebus adducere.

Porrò qui ex Parochis tàm salubre, ac necessarium opus negligent, quoties id omiserint pręterquam legitimo detenti impedimento, de quo nobis constare debeat; quo casu alios Sacerdotes, siue Clericos subrogare teneantur; toties illius diei fructus suorum beneficiorum amittant; procedente verò vltra tres menses contumacia, medietate fructuum illius anni mulctentur: qui Sacerdotibus alijs, id munus exequentibus erogabuntur. Quod, vt qua, par est, diligentia obseruetur, quod ad Parochos attinet, curabūt testes Synodales; Quod verò ad patres familias pertinet, ipsimet Parochi instabunt crebris monitionibus, & iterata lectione inter Missarum solemnia, pręsentis huius decreti.

Sciant autem, qui tam salutari operi incumbent, certas quasdam indulgentias, quas diximus a F. Record. Greg. XIIII nobis concessas singulis vicibus consequi, prout in Breui in fine huius Synodi impresso latius continetur.

In Ciuitate Cappellanus, eo modo, quo supra dictum est ad Christianam doctrinam docendam teneatur assumptis ad hoc opus Clericis cuiuscunq; ordinis quot necessarios habuerit, & qui a nobis assignabuntur, quod vt exequutioni demandetur curent omni sollicitudine testes Synodales Ciuitatus.

De Prabenda Theologali, & Sacræ Scripturæ lectione, Decretum IX.

THEOLOGALEM Præbendam, hucusq; in Metropolitana nostra Ecclesia minimè erectam, mensibus elapsis authoritate Sacri Concilij Tridentini, & facultate in scriptis obtenta a Sacra Congregatione Illustrissimorum Cardinalium prædicti Concilij interpretum, ereximus; Quarè quamprimum de Theologo prouideatur, qui suo fungatur munere.

Interim verò singulis diebus festis, ac Dominicis in Metropolitana Ecclesia de mane concio habeatur, a prandio autem Sacræ Scripturæ lectio per aliquem ex Regularibus, præter eas, quas in suis Ecclesijs omninò eos habere, Generalis noster Vicarius ob eorum negligentiam curabit.

De Librorum vsu, Librarijs, & Impressoribus Librorum. Decretum X.

Sess. 4. c. 1. CLERICI quicunq;, itemq; laici Ciuitatis, & diœcesis, quo tempore visitationis munus exercebimus, notam, siue librorum omnium indicem, quos domi habent, nobis, aut nostro Vicario, siue illi personæ, cui id muneris a nobis delegabitur, omninò præsentare teneantur. Si quis verò admonitus recusauerit obedire, si laicus erit excommunicatione ferietur; si Clericus alijs prætereà pœnis, nostro arbitratu mulctabitur.

Bibliorum volumine, neq; vllo Sacræ Scripturæ libro, siue opere, in vulgarem linguam verso, nemini vti seu habere licebit, nisi a nobis tantum in scriptis obtenta licentia. Quos verò habere deprehenderint Confessarij, non absoluant, nisi delatis prius ad nos huiusmodi libris iuxtà Indicis regulam.

Fœlicis Record. Sixti Papæ V. Bulla contrà exercentes iudiciariam Astrolo-

Astrologiam, & cętera Diuinationum genera, atq; alia huiusmodi Diaboli inuenta, nec non contrà tenentes libros, qui de huiusmodi rebus pertractant singulis annis, iuxtà eiusdem constitutionis præceptum secunda Dominica Quadragesimæ, tam in Ciuitate, quam in omnibus Parochialibus Ecclesijs nostræ diœcesis, dum populus frequentior adest, vulgari sermone, prout in fine Synodi huius habetur omnimodè publicetur.

Confessarij verò omnes animaduertant, ne huiusmodi impios homines prædicta diabolica inuenta exercentes, aut damnatos hosce libros retinentes, etiam si eis non vtantur, absoluere præsumant, cùm ex supradicta constitutione, huiusmodi delicta casus inquisitionis censeantur; & ex Indicis Regulis supradictos libros habentes, excommunicationis vinculo innodentur; a quo, sicuti, neq; a casibus inquisitionis, cuiq; Confessario, nisi specialiter sit ab Apostolica Sede indultum, quempiam absoluere licet. Proinde huiusmodi Pœnitentibus suadeant vetitos libros ad nos deferre, & nos super hac re consulere; Qui autem Confessarij secus fecerint, eo ipso ab audiendis Confessionibus sint suspensi.

Testes autem Synodales diligenter inuestigabunt, quinam in suis Regionibus eiusmodi libros in sacro Indice vetitos retinent, Quivè iudiciariam Astrologiam, ac reliqua id generis prohibita exerceant, ac statim ad nos deferant.

Sanctorum Lateranensis, & Tridentini Conciliorum Decreta, ac item eiusdem Indicis librorum Sedis Apostolicæ authoritate editi regulam in librorum venditione, & impressione seruari volentes, præcipimus, nè Librarius quispiam, seu librorum impressor, aliusvè, qui libros, vel alia cuiusuis generis scripta imprimenda curat: eos, eavè Typis mandet, aut imprimat, nisi liber, aut scriptum, quod impressioni tradendum est, prius recognitum sit, & comprobatum, eidemq; subscriptum à nobis, aut ab eo, cui id curæ datum erit.

Comprobatio autem huiusmodi initio libri, aut in fine apponatur, ipse verò liber nomine, & cognomine authoris, ac imprimentis annotetur; porrò exemplar authoris manu subscriptum, cum primum impressio confecta erit, nobis tradatur, aut ei, qui nostra authoritate idem subscripserit, Hæc autem & recognitio, & approbatio gratis fiat.

Quod verò de libris prima vice imprimendis dictum est, id omne etiam in aliàs impressis, denuò imprimendis seruari mandamus. Contrà si

trà si quis fecerit excommunicationis pœnam subeat, libris pręterea impressis, mulctabitur, qui publicè comburentur.

Bibliopolę in libris tùm vendendis, tùm emendis, ea omnia seruent, quę toto ipso Indice S. Sedis Apostolicę authoritate edito constituta sunt, sub pœnis in eiusdem Indicis regulis contentis, Ea autem communi sermone, certis quibusdam expressa capitibus accipient ab eo, qui huic muneri pręest.

Nemini cuiusuis status, gradus, aut conditionis exiterit libris non dum in vrbem aduectis, vti liceat, nisi prius eorum Catalogum examinandum supradictę personę a nobis deputatę exhibuerit, nec item indè libros asportare, nisi obtenta prius ab eodem in scriptis licentia, idque tàm de introducendis libris, quàm de emittendis seruetur prima dumtaxat vice, qua eos introducere, aut asportare contingerit; Qui secus fecerit excommunicationis pœna mulctetur.

Contra Blasphemantes. Decretum XI.

SACROSANCTI vltimi Lateranensis Concilij decretum, contrà blasphemantes editum omnimode obseruari cupientes, pręcipimus tàm clericis, quàm laicis, vt cum Dei nomen, aut B. Virginis, siuè Sanctorum blasphemari audient, pręter pręceptam Euangelicam correctionem, etiam iudicem ea de re doceant spiritualem, vt qui tam impium scelus admiserint, seuerè puniantur, sintq; alijs exemplo, ac terrori; Et in clericos quidem pręter pœnas a dicto Concilio statutas alijs insuper animaduertetur, etiam vsq; ad beneficiorum priuationem, si incorrigibiles erunt.

In laicos verò iuxtà Bullam Fœlicis Record. Pij V. contrà blasphemantes editam, procedetur.

Parochi autem curabunt, vt vbi hactenus Dei nominis sodalitas instituta non est, quàmprimùm erigatur, ad nefariam blasphemię labem exturpandam. Verùm quando ex ludo tùm impium hoc scelus, tùm pleraque dissidia, lites, & odia rixaque oriri quàmplurimas compertum est; districtè pręcipimus omnibus cuiuscunque gradus, & conditionis existant sub excommunicationis pœna, ne publicum Alcatorium. s. quo cuique pro arbitratu accedere licet, etiam si sinè lucro id a dominorum Dominis fiat, neve taxillos, siue aleas publicè,

vel secretò locare, & huiusmodi ratione alios ad ludendum incitare præsumant: Inhibentes omnibus nostræ Ciuitatis, ac Diœcesis Confessarijs, ne huiusmodi facinorosos homines vllo pacto absoluere præsumant, quandoquidem certum est, eos vt plurimum, præter graue facinus multis restitutionibus esse obnoxios. Quamobrem nobis absoluendos remittant. Regios verò Magistratus, ac Dominos temporales vehementer in Domino hortamur, vt oportunis remedijs, iuxtà legum Sanctiones id prohibeant, cùm non sit malum in Ciuitate, quod ex huiusmodi prauo exercitio non oriatur.

De Superstitionibus abolendis.
Decretum XII.

PRAVVM superstitionum vsum frequens in diœcesi malum, & rudium præsertim mulierculuarum inuentum; omni studio atque conatu Parochi in suis parochijs penitus euellere studeant, crebris ad populum monitionibus, quibus tanti sceleris grauitatem intelligant. Concionatores deindè, qui pro tempore illuc ad euangelizandum aduenient, statim certiores reddant de prauis huiusmodi abusibus, vt contrà eos sæpius acriter instent. Vt autem Parochi plebem sibi a Deo commissam admonere facilè possint; quoniam pacto a superstitiosis cultibus, eas declinare oporteat, nonnullas ex supradictis superstitionibus, quas non sinè dolore accepimus, quò diligentius caueantur breuiter attigendas putauimus. Sess. 25. c. 1.


Huiusmodi verò sunt.

In ea domo in qua cadauer adest, diligenter curant, vt nullus stet ante ianuam, quæ semper seruatur patens. Item cum defunctus effertur per domos, & vias transiens, si fortè aqua in illis domibus conseruatur, ea tota effunditur. Item tribus diebus continuis post alicuius obitum in defuncti cubiculo lumen accensum per noctem conseruatur. Item cum oculis apertis defunctus effertur, aliquem ex eadem domo breui moriturum reliqui augurantur. Idem de eo, qui postremo baccanaliorum die spirituum copiam per nares effundere solet. Cum infirmus vigilia cruciatur, psalterium capiti apponunt, vt quiescat. Vt quis somniet, quod concupiscit, tres mentæ surculos capiti apponunt, terque Salutationem Angelicam recitant.

Item

Item titionem ex ligno combusto, in nocte Sanctissimæ Natiuitatis Domini remanentem conseruare solent. Cum pulsantur campanæ in die Sabbati Sancti, in ore ferrum apponunt, vt à dentium dolore immunes sint. Vt anno integro laterum dolore non vexentur, primas ordei paleas delatas lateri apponunt. Cum sponsa Ecclesiam dextro pede ingreditur, deinde per eandem portam non egreditur. Plurima huiusmodi in Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ à mulieribus fiunt, vt futuros coniuges, & matrimonij statum coniectare possint, vt lucernulas, offulas, intinctas manus, somnialia, item plumbea quædam, & cerealia, & sexcenta huiusmodi. Cum venter, aut caput dolet, vt cesset incantatione quadam, & cautu vtuntur. Vt prægnans nè faciat abortum, secum semper defert argenteam quandam clausuram, siue catenatium clausum, quod vocant lacteria: Tres baculos paruos ligneos compater tradere solet suscepto, argenteamq; ranulam, vt à morbo aliquo curetur. Item cartulas quasdam, & breuia, contra febrim, & alia ferè innumera, quæ ex his conijci possunt.

Finis Primæ Partis.



DECRE-

DECRETORVM PARS SECVNDA.

DE IIS, QVAE AD RECTORES ANIMARVM, ET SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONEM PERTINENT.



De Synodi Diœcesanæ annali celebratione. A *Decretum Primum.* Sess. 24. c. 11.

SYNODI Diœcesanæ quotannis celebrandæ salutare institutum, prisci sęculi Patribus comprobatum, ac Sacrosancti Tridentini Concilij decreto innouatum, quod quidem saluberrimos in Ecclesia Dei attulit fructus, in perpetuum vsum, pro Pastorali, quam gerimus sollicitudine reuocare cupientes, Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti inuocato præsidio, ac Deiparæ semper Virginis Mariæ nostræ Tutelaris auxilio, precibusque Sancti Francisci de Paula Protectoris nostri, Synodum Diœcesanam in posterum quolibet anno firmiter habendam esse decernimus, diemq; certum Archiepiscopali authoritate, illius celebrationi statuimus, ac destinamus, Dominicam secundam post Pascha cuiuslibet anni, eamq; in Diœcesanum Calendarium conficiendum reponi; ac ipsa solenni Assumptionis B. Virginis die inter nostræ Pontificalis Missæ solennia, post Euangelium, ab Archidiacono indici, ac promulgari mandamus, certa quadam verborum formula in huiusce Synodi calce apponenda.

Indicetur prætereà veteri Conciliorum exemplo, per mensem antè

antè singulas Synodos, idemq; roboris obtineat, statutæ illius diei promulgatio, ac si publico id fieret edicto. Omnes igitur, & singuli, qui Consentiæ, ac in eius diœcesi beneficia cuiusuis generis Ecclesiastica, etiam, quæ sine vlla cura sunt, obtinent; tum prætereà Clerici sęculares, ac Regulares omnes, quicunq; Canonum iure, siuè Ecclesiasticis Sanctionibus, siuè Tridentino decreto, aliavè consuetudine, aut ratione diœcesanæ nostræ Synodi interesse possunt, aut planè debent, præscripta die in Metropolitana nostra Ecclesia summo mane, cum ea, qua decet, animi puritate, ac decenti suo statui, vestitu, atq; adeò mundo superpelliceo, omninò intersint.

Sacerdotes autem, tum ipsamet, tum sequentibus Synodalibus diebus in ipsa Metropolitana Ecclesia sacrum deuotè facient; Qui verò Sacerdotali ordine insigniti non erunt, Sacrosanctam Eucharistiam à nobis celebrantibus percipient.

Antè verò statutam diem per mensem, quinta quaq; feria Sacrum de Spiritu Sancto; si per eam diem licebit, fiat; sin minus, oratio de eodem dicatur ab omnibus nostræ diœcesis Sacerdotibus; Reliqui verò sacrorum, & minorum ordinum Clerici, præter statas à nobis prçces præscribendas, Synodalibus ipsis diebus, quotidie Beatæ Virginis officium, ac preces de Spiritu Sancto deuotè recitabunt.

Tum omnes totis visceribus, humili, supplicíq; corde Deum Optimum Max. deprecabuntur, vt quæ ad eorum salutem pertinent, ipsius auxiliante misericordia; per nos in Synodo diligenter, sanctéq; pertractentur. Monemus tandem quotquot Synodali conuentui intererunt, vt tota animi cogitatione ad rei grauitatem, cuius causa conuenerunt, attendant.

Pridie statutæ diei adsint vicarij foranei, qui nobis nomina, & cognomina deferant ordine descripta Sacerdotum, & singulorum Clericorum, qui Synodo interfuerunt; item absentium impedimenta, & causas, quandoquidem omnes per se, non autem per procuratores (nisi legitima causa præpediti) adesse tenentur,

Porrò qui ad officium recitandum obligati sunt, Breuiarium secum afferant, initio, notatum, nomine, & cognomine possidentis, ac perso nis à nobis deputatæ recognoscendum præsentabunt.

Ipsa verò, & reliquis diebus ad Sessionalem locum non turbulenter, sed quietè accedent, ordine considerant; tumultibus rem Synodalem nè perturbent. Confabulationibus operam ne dent; Sacerdotes singulis ipsis Synodalibus diebus celebrent pro Sancta Dei Ecclesia, pro

Sanctissimo

Sanctissimo Domino nostro Clemente VIII. pro Philippo Rege nostro Catholico,& pro salutari Synodalium Constitutionum institutione,ac vberi fructu; Quod autem superest temporis, à negotijs pertractandis,otiosè nè conterant.

Cum de Examinatoribus, & Iudicibus Synodalibus suffragia dabunt, non humanis obsequantur affectibus, sed Deo, conscientiæ suæ, Religioni, Ecclesiæ vtilitati, animarumque saluti satisfacere studeant.

Quod si quem fortasse ex ijs, qui Synodo intererunt,siuè in dicendis sententijs, siuè dum decreta promulgantur, aut discutiuntur, suo in loco sedere, aut loqui non contingerit,is nullum hac de re,sibi fieri præiudicium,nullum ius alteri,ideò quæsitum esse, sciat.

De Exequutione Decretorum Synodalium.
Decretum II.



ERVM quandò vna, optimaque lex est, legum obseruantia, & decreta, statutaque omnia, tùm prouincialibus, tùm diœcesanis Synodis, summo studio, summoque labore confecta, nisi suum sortiantur effectum, inutilia ferè, ac vana censenda sunt, & frequenti vsu compertum est,nisi eorum exequutioni,sedula instent diligentia,ij ad quos spectat, plus fortasis ceremoniæ cuiusdam,quàm vtilitatis,ex tàm necessaria actione populum,atq; adeò Clerum ipsum referre.

Vt ea, quæ Dei fauente clementia, ex præsenti, & futuris Synodis statuentur à nobis, à nostris diœcesis Religiosis, ac laicis hominibus, omni prorsus via, ac ratione seruentur; Hæc statuimus.

Dominicæ illius sententiæ, scilicet, Speculatorem dedi te domui Israel; & alibi; Diligenter agnosce vultum pecoris tui, & considera super greges tuos, summam vim, ac necessitatem, sæpius intenta animi cogitatione, recolentes; Cum diœcesis nostræ loca omnia proprijs oculis lustrare nequeamus, certis quibusdam oppidis probatos quosdá viros asignádos duximus,qui veteri cósuetudine Sacrosanctis Canonum decretis introducta,testium Synodalium officio fungantur.

Horum autem in primis studium erit, vt Prouincialia, & Diœcesanæ decreta, vbiq; pro viribus obseruentur; Referent deindè nobis, statis quibusdam temporibus, præsertim verò instante tempore Diœcesanæ Synodi conficiendæ, quæ in vnaquaq; Regione, atq; adeò in qualibet particulari Ecclesia reformationem desiderent, vt sit tali pacto, veluti vno oculorum intuitu, nobis cognitus, & cleri, & populi status in omni Ecclesiastica disciplina.

Oppida verò Synodalibus testibus sic assignantur.

CIVITATIS Præpositi, & testes Synodales;
R.R. Ioannes Andræas Morellus, & Ioseph Ruffus.

Ciuitatis.

Montalti.
S. Sixti. & oppidorum.
Baccaritij, & Argentini.
S. Vincentij.
Rendarum.
S. Fœlicis, &
Castrifranci.
Cerisani.
Monticini.
Adm. R. D. Hieronymus Almena V. I. D.

Oppidorum.

Paulæ.
Fuscaldi.
Guardiæ.
S. Lucidi.
Adm. R. D. Sanctus Mazzeus V. I. D.

Oppidorum.

Domanici.
Lacus, &
Tesiani.
R. Archipresbyter Caroleorum.

Oppidorum.

Dipiniani.

Caro-

Carolcorum.
Belsiti.
Donnicorum.
Grimaldi.
Altiliæ, &
Maliti.
R. Archipresbyter Paterni.

Oppidorum.

Carpanzani.
R. D. Philippus Arabia.
Paterni.
D. Manilius Vercillus.

Oppidorum.

Roblani.
S Stephani, &
Mangoni.
R. Archipresbyter Filleni.

Oppidorum.

Apriliani.
Pedacij, &
Castri S. Ioannis.
R. Archipresbyter Petrafictæ.

Oppidorum.

Filleni.
Petrafictæ, &
Spetiani Parui.
R. Archipresbyter Apriliani.


Oppidorum.

Spetiani Magni.
Celici, &
Robeti.
R. Archipresbyter Celici.

Oppidorum.

Zumpani, &
Castrionis.
R. Archipresbyter Castrionis.

De Testium Synodalium officio. Decretum III.



IGITVR primum omnium Synodales isti testes, iuxtà formulam iurisiurandi ex antiquo Canone exceptam iurabunt: Iurati verò hoc perpetuò meminerint se non amore, non odio, non inuidia, non spe, non metu, non pœna, non premio, non cognatione, non vlla denique re commoueri, aut impediri debere, quo minus liberè, & integrè munus suum pro ratione infra præscripta exequātur. Quo igitur tempore hoc munus gesserint personas discretas, interrogando simpliciter, & de plano, absq; vlla iurisdictione, sollicitè inuestigent hæc, quæ sequentur. In primis verò Catalogos habeant oppidorum suæ Regionis, deindè Ecclesiarum, tam quibus cura imminet animarum, quam quæ huiusmodi curam non habent; Clericorum prætereà cuiuscunq; ordinis, & Confessariorum. Inuigilabunt autem his potissimum rebus, scilicet,

Quis sit Cleri in Clericalis vitæ moribus progressus?

Quæ in vita spirituali disciplina.

Quàm sollicitum in diuinorum officiorum cultu studium.

Quàm diligens in Ecclesiasticis functionibus obeundis sollicitudo.

Quàm sedula in literis addiscendis diligentia; Qui progressus; An libros habeant sibi necessarios ad studium, & quos.

Qui prætereà Parochorum zelus in animarum salute procuranda.

Quæ in Sacramentorum administratione diligens opera.

Quàm frequens in pascendis verbo DEI fidelibus, officium.

Quæ in pastoralis muneris partibus vigilantia, quæ assiduitas.

Quibus in rebus deficiunt, populové non satisfaciunt.

An aliquandò eorum negligentia, aliqui sinè Sacramentis decesserint.

An aliquo suæ vitæ scandalo, siuè publico, siuè secretò populi offendantur.

An sinè nostra in scriptis licentia longius, diutiusvè à residentia absint.

Quæ sit eorum conuersatio, quę vitę ratio.

Quę in Christianę charitatis operibus, exercitatio.

Quàm

Quàm Religiosè dies festi in ea Regione obseruentur.

Quàm deuota, ac pia in Ecclesijs conuersatio.

Doctrinam Christianam, an doceantur omnes pueri ad præscriptum nostræ vltimę Constitutionis.

An adsint vbiq; ludi Magistri, & quis scholarium numerus.

An legant Parochi inter Missarum solennia singulis festis Cathechismum.

Quę ecclesię instauratione indigeant.

Quę sacram desiderent suppellectilem.

Quibus in Ecclesijs procuratores laici, qui reparationis, earum curam gerunt, sint permittendi ob Rectorum ea in re negligentiam: a quibus verò arcendi sint, si nimium sibi arrogent, & Rectorum suppleat diligentia.

Eorundem procuratorum rationes administrationis a decennio reuideant, quosq; Ecclesijs debere deprehenderint, illicò ad soluendum compellant.

An Ecclesię debito cultu fraudentur.

Sacerdotes, qui Missarum oneribus non satisfecerunt, ad restitutionem perceptorum fructuum, omni prorsus via, ac ratione compellant.

An in posterum Missę, quibuslibet in Ecclesijs ijs in altaribus, siuè cappellis, quibus relicta pia asignata sunt, certis diebus a Sacerdotibus, qui tenentur, iuxtà prescriptum tabellę, nostro precepto appositę, persoluantur. Quos verò negligentes compererint ad restitutionem portionis illius diei compellant.

An Sacristę, siuè Rectores Ecclesiarum librum habeant, in quo ipsimet Sacerdotes, post celebrationem adnotent diem, in quo pro suo onere satisfaciendo celebrauerunt, eundem verò librum singulis mensibus sibi pręsentari iubeant.

An patroni iurium patronatuum, siuè hęredes eorum, qui Ecclesijs certa quędam bona legauerunt, eorundem bonorum administrationi sese immisceant, aut fructus aliqua ratione percipiant.

An Parochi, siuè illis impeditis, alij Sacerdotes, quotidie in Parochiali Ecclesia celebrent, ità vt nunquam inibi sanctum Missę Sacrificium desideretur.

An sępius populũ inter Missarũ pręsertim solennia rectam doceãt rationem confitendi sua peccata, & necessarium pręuiũ diligẽs examẽ.

An ea ad Sacramentorum frequentiam iteratis uicibus exhortẽtur.

An a peccatis, & uitijs correctione, ẽt publica, ubi opus est reuocẽt.

An edicta nostra, statutis temporibus publicentur.

An decreta Prouincialis, & Diœcesanæ huius Synodi obseruentur. Item, & mandata in visitatione.

Quæ nam in ijs obseruandis, difficultas reperiatur.

An ordine inferius describendo statutis in locis, casuum conscientiæ collationes fiant; & qui nam eò accedere negligant; ipsi verò interdum alternis locis prædictis collationibus intersint, vt sacerdotum in casibus intelligendis progressum percipere valeant, inobedientes pecuniarijs pœnis omnimodè mulctent.

Qui sint peccatores publici, vsurarij, concubinarij, & qui in prohibitis gradibus matrimonia contraxerunt an cohabitent, quomodò viuant, an sit aliqua spes emendationis, an sæpius à Parochis admoneantur, quos, & ipsimet testes Synodales, pijs exhortationibus, ac monitionibus, aliquandò etiam asperrimis minis, siuè exhortentur ad pœnitentiam, siuè terreant pro pœna subeunda.

Quibus in locis viri seorsum ab vxoribus habitent, aut è contrà qua ve de causa.

Qui sint abusus quolibet in oppido.

An ijs extirpandis inuigilent Parochi.

Qui redditus Ecclesiarum, & quomodò à Rectoribus distribuantur.

An pauperes & præsertim qui in extrema sunt necessitate, vel à Parochis (si poterunt) vel ab vniuersitate, aut Dominis temporalibus, eleemosinis iuuentur.

Eorum verò Catalogum habeant. Item, & puellarum nubilium, quarum pudicitia in periculo versatur, vt ijs aliqua ratione, vel ex prouentibus illorum oppidorum, vel alia via prouideri possit.

Catalogum etiam viduarum, pupillorum, aliarumq; miserabilium personarum, quorum omnium sæpius necessitates pia charitate, & benignè auscultent, atq; ad nos, vel per epistolas, vel oretenus deferant: Nos verò Religiosos aliquos in Ciuitate viros destinauimus, qui eorum indigentijs opitulari studeant, eleemosinis, opere, consilio, aut fauore siuè ijs subueniendo in victu; siuè iuuando apud sęculares magistratus, ne à potentioribus opprimantur.

An instent diligenter, ne vlulatus, & ploratus, tùm in Ecclesia, tùm extrà fiant à fœminis propter obitum suorũ, & an ab Ecclesia arceant, easq; grauiter reprehẽdant; absolutionem (etiam si à nobis facultatem habeant) aliquandò denegantes, aut suspendentes, vt corrigantur.

Quibus

Quibuscum Parochi simultates habent,& odia. Quænam eorum causæ, an Parochi culpa:eaq; reconciliare studeant. Odia, lites, atq; dissentiones, inter qualcunq; personas, quæ maximè in nostra hac diœcesi vigent, conciliare conentur, atq; tàm pio negotio totis viribus, vel per seipsos, vel per Concionatores, aut Confessarios, aliquandò, vbi opus erit, etiam nostro implorato auxilio diligentissimè instabunt.

Quæ oppida Confessoribus, quæve Concionatoribus indigeant.

An Quadragesimale, & alia ieiunia seruentur.

An Parochis debitum honorem populi deferant.

An decimas persoluant.

Qui in eorum Regione Fidei professionem, ad quam tenentur, hactenus non præstiterunt, vt quamprimùm emittant.

Catalogum insuper habeant eorum, qui in oris maritimis extra nostram diœcesim degunt, vt edoceri possint ea, quæ ad salutem sunt necessaria An debitis temporibus Sanctissima Sacramenta percipiant: an festis diebus Missæ Sacrificio intersint; Quotnam sint Cappellæ erectę in territorio, quòd Sila, nuncupatur; Quinam ibi celebrent, an sufficiant.

Quænam Parochianorum domus, ob locorum distantiam sint ab vna Parochia, eximendæ, & alterius Parochi curæ subijciendæ, assignata æquiualenti compensatione.

An Concionatores, Quadragesimali, & alijs temporibus ritè suo fungantur officio, & prædicent, quæ à Catholica Religione non sint aliena, vitia peculiaria præsertim increpantes, populumque ad Sacramentorum frequentiam adhortentur.

Ne patientur peracta Quadragesima, Concionatores cum vniuersitatibus locorum lites inire in foris sęcularibus pro eleemosina recuperanda, ideoque curent ipsi, vt sibi à Communitatum præfectis assignentur: Quas Concionatoribus coràm testibus persoluant. Concionatores verò aliter exequi volentes, omninò pro viribus impediant.

Præpositi autem Ciuitatis, ijdemq; testes Synodales præter hæc, quæ suo quoque modo in Ciuitate obseruabunt, præsertim assiduè in Metropolitana Ecclesia versabuntur; ibi verò inuigilabunt, tùm diuinis officijs ritè persoluẽdis, ac Missis debito ordine, ac tempore celebrãdis, tum maximè Sacramentis oportunè administrandis, sepeliendisq; pauperum cadaueribus; vt debita cum reuerẽtia, laici in Ecclesia conuersent; nè sacræ Cõciones populo desint diebus festis; vt Doctrina

Christiana singulis Regionibus Ciuitatis, assignato aliquo ex Clericis, doceatur; Vt lectio Sacræ Scripturæ, tàm in Cathedrali, quàm in Ecclesijs regularium, habeatur.

Hæc autem omnia, quandocunq; eis necessarium videbitur, ad nos referent, & sæpiùs quæ correctione indigebunt suggerent.

Singulis deinde tribus mensibus, nempè

Feria secunda post Dominicam Septuagesimæ.

Feria secunda post octauam Corporis Christi.

Feria secunda post primam Dominicam Septembris.

Feria secunda post vltimam Dominicam Nouembris.

Ad nos referent oretenus omnes simul quid in vnaquaq; Regione agatur, exactamq; reddant rationem suæ villicationis, vt à nobis super ijs, quæ oportunis remedijs indigebunt, debitè prouideatur.

Id verò, quò diligentiùs exequi valeant, curabunt, vt per aliquos dies, antequam ad nos veniant relaturi, quæ illis tribus mensibus gesta sunt, congregatio, in aliquo suæ Regionis oppido habeatur, Archipresbyterorum, & Parochorum à quibus exquirent, quæ animaduertenda sunt. Parochi autem suorum Parochianorum statum, mores, & vitam diligentiùs perquirentes, testi Synodali in scriptis deferent, quæ nobis erunt referenda; Porrò vbi Consentia à nostra Congregatione ad suas redierunt Regiones, aliam statim habeant Congregationem suorum Parochorum de ijs, quæ in nostra Congregatione statuta sunt exequutioni demandandis.

Examinent sæpiùs Clericos in minoribus, de Sacramentorum frequentatione; an literis operam dent; & de quatuor præsertim locis necessarijs, s. de Articulis Fidei, de septem Sacramentis, de decem præceptis Decalogi, & quinque Ecclesiæ.

Circa festum verò omnium Sanctorum, Clericorum Ordinandorum in sua Regione Catalogum perficiant: & quàm diligenter inuestigent, qui nam ex ijs apti erunt ad ordines suscipiendos, iuxtà ea requisita, quæ inferius cum de Sacramento ordinis tractabitur, explicabuntur; Quod si ex huiusmodi necessariò requisitis, aliquod ordinandis deesse, statim, ea de re, nos certiores faciant. Eos autem, quos iuxtà prædicta habiles censuerint, authentico testimonio nobis commendent, quo exprimatur, quæcunq; ad ordinem illum, quem suscipere intendunt, sunt necessaria, ipsos habere: huiusmodi autem testimonium iuxtà formulam, in fine huius Synodi apponendam conficiant, neque vllo pacto obsignent, si aliquod ex requisitis desit; Illud autem per certum

rum nuncium ad nos transmittent, nulloq; pacto ordinando Clerico tradant; porrò aduenientе die antè mensem ordinationis, quo iuxtà Tridentinum decretum, ordinandi in Ecclesia publicari debent, curent id, coram frequenti populo iteratis vicibus fieri, & moneri omnes, vt referant siuè in scriptis, siuè ad aures nostras, vel eorum, si quid contra ordinandos habent.

Demum statim ac Parochialis Ecclesia siuè simplex, vacauerit, teneantur Præpositi ipsi certiores nos facere, de obitu Rectoris, vt in illa Ecclesia vicarius subrogari possit.

De Casuum collationibus bis in hebdomada instituendis. Decretum IIII.

CVm hominum, etiàm solertissimorum ingenia, absq; exercitatione aliqua, otio, & torpore quandam quasi rubiginem contrahant, vt exercitationi locus detur, & Clericorum imperitiæ consulatur, collationes quasdam instituendas decernimus in locis inferius describendis; semel igitur singulis hebdomadibus, assignato die, hora pro commoditate statuta, Clerici omnes Simplices, & Curati, siuè in quacunq; dignitate constituti, in vnum conueniant locum, vbi casuum collationibus huiusmodi Præfectus in Schedula quadam quinque, vel quattuor quæsita proponat in sequenti collatione discutienda, ita vt semper in collatione præcedenti, publicè legantur, quæ remanent pro sequenti; Is autem erit modus seruandus, vt ex aliqua summa casuum, vel etiam ex Rubricis Missalis, aut Cathechismo breuissimè per modum quæsiti seligantur; vt verbi gratia,

Primò. Quæ sunt de necessitate Sacramenti.

Secundò. Quę materia Eucharistię.

Tertiò. Quid in tali casu agendum, si occurrerit, & alia huiusmodi.

Tùm vnusquisq; librum a Pręfecto assignatum consulere debet, ac in eo diligenter perquirere, si quid ex pręposita quęstione inuenire posset; Deindè statuto die, ea, quę inuenerit; item caput, & lineam assignati authoris in medium proferre; quòd singuli, suo ordine pręsta-

bunt; & demum Præfectus omnia colligens. Quid sentiendum ex Authoribus breuissimè explicabit, atque hac ratione, breui tempore non tantum tàm frugifera scientia in Clero ferè ob literata resarcietur, sed in futurum quasi nouo vitæ fructu conseruabitur, quibus omnibus si decretum aliquod ex Synodalibus Constitutionibus suo ordine initio collationis semper perlegatur, nihil aliud seruandum remanebit, nisi quod totius est constitutionis, & obseruantiæ clarus pœna, scilicet à negligentibus persoluenda.

Qui enim ex Clericis aberit, nisi priùs habita à Præfecto, ex legitimo impedimento facultate medij caroleni pro prima vice; pro secũda caroleni vnius solutione mulctabitur, quam Præfectus statim exiget, reddetq; Archipresbytero loci; Cuius rei testimoniũ ab ipso accipiat, & singulis mensibus ad nos transmittat, vt ea pauperibus erogari mandemus, adnotatis negligentium nominibus, & cognominibus, à quibus pœnę solutę sunt, vt in eos, crescente contumacia, etiam grauioribus pœnis animaduertere possimus.

Loca Diœcesis, in quibus Casuum collationes facienda erunt.

Cosentiæ.

IN Archiepiscopali Palatio die Lunę, Collationes Confessariorum, & Sacerdotum omnium Secularium, & Regularium. Die verò à nobis indicenda, bis, aut ter. quolibet mense habebitur congregatio secreta Confessariorum tantùm.

Montalti.

In domo Reuer. Decani, Pręfectus ipsemet Decanus.

S. Sixti.

In domo admodùm Reu. Abbatis, Pręfectus ipsemet, eò accedant Presbyteri S. Fœlicis, Baccharitij, & S. Vincentij.

Rendarum.

In Sacristia, Pręfectus, D. Paulus Nauonus.

Castri Franci.

In Sacristia, Pręf. Archipresbyter.

Cerisani.

In domo D. Marcelli de Maio, Pręf. ipsemet.

Monticini.

In Sacristia, Præf. Archipresbyter.

Domanici.

In Ecclesia, Præf. Rector.

Lacus.

In Ecclesia, Præfectus Coadiutor.

Primaldi.

In Ecclesia, Præf. D. Vincentius Ferrarus.

Altiliæ.

In Sacristia, ad quam conueniant Presbyteri Maliti, & Maionis, Præf. Archipresbyter.

Carpanzani.

In Ecclesia, Præf. Coadiutor.

Roblani.

In Sacristia S. Petri, ad quā cōueniāt Presbyteri oēs Baiulationis, & Rector Belsiti, Præf. D. Philippus Arabia, Archipresbytero impedito.

Mangoni.

In Ecclesia, ad quam accedant Presbyteri S. Stephani, Præf. D. Beniamin Nicolecta.

Filleni.

In domo Archipresbyteri, ad quam conueniant Presbyteri Cellariarum, & Planarum, Præf. ipsemet Archipresbyter.

Donnicorum Superiorum, & Inferiorum.

In Sacristia, Præf. D. Marcus Antonius Sprouerius.

Apriliani.

In Ecclesia S. Mariæ Casalis Petroni, ad quam conueniant omnes Presbyteri Baiulationis, Præf. Archipresbyter.

Petrenclæ.

In Ecclesia S Nicolai, ad quam accedant omnes Presbyteri Baiulationis, Præf. Archipresbyter.

Pedacij.

In Sacristia Ecclesiæ S Petri, ad quam accedant Presbyteri Baiulationis, Præf D. Iacobus de Senatore.

Sp:tiani

Spetiani Parui.

In Ecclesia Sanctę Marię, ad quam accedant Presbyteri Casalium. Pręf. D. Ambrosius de Dominico.

Casulorum.

In Ecclesia Monasterij Cistercienſium, ad quam accedant Presbyteri Casalium. Pręf. Archipresbyter.

Spetiani Magni.

In Sacristia S.Blasij. Pręf. Archipresbiter.

Celici.

In Sacristia S.Angeli. Pręf. Archipresbyter.

Rubeti.

In Cappella Confratrum Tituli S. Sophię, ad quam conueniant omnes Presbyteri Baiulationis, Pręf. D.Liuius Cornelius.

Zumpani.

In Sacristia Ecclesię S.Georgij. Pręf. D. Martius Guerra.

Castrionis.

In Sacristia S. Mariæ, ad quam accedant cæteri Presbyteri Baiulationis. Præf. Archipresbyter.

Caroleorum.

In Ecclesia S.Mariæ. Pręf. Archipresbyter.

Paterni.

In Sacristia S. Petri. Pręf. D.Manilius Vergiglices.

Dipiniani.

In Ecclesia S. Marię Fratrum de Obseruantia, ad quam accedant cæteri Presbyteri Baiulationis, & etiam Tessani. Pręf. Archipresbyter.

Paulæ.

In Sacristia Ecclesię S.Marię, vel in domo, ad quam accedant etiam Presbyteri S.Lucidi. Pręf. D. Sanctus Mazzeus.

Fuscaldi.

In domo Archipresbyteri, ad quam accedant Presbyteri Guardię. Pręf. Archipresbyter.

Monemus

Monemus autem Regulares omnes nostræ Diœcesis, tam qui Confessiones audiunt, quam reliquos Sacerdotes, vt ad huiusmodi collationes, diebus, & locis prædictis, ea, qua debent charitate, accedere non negligant; In posterum verò audiendi Confessiones, facultates nemini concedentur neq; prorogabuntur, nisi constiterit nobis priùs, se ad collationes prædictas sæpiùs accessisse.

De Officio Curatorum. Decretum V.

Sess. 23. c.1. de refor.

PAROCHI assiduè suum recolant officium, & die, noctuq; meminerint, oneris sibi impositi, Angelicis etiam humeris formidandi, sciantq; tunc aliqua ex parte, se quod suum est munus, implere, si animas pretioso Christi sanguine redemptas, sibique commissas, eidem Redemptori seruare, ac lucrifacere, omni studio, omniq; conatu procurabunt, si præsint, vt prosint, si inuigilent, semper pauidi, ac de earum salute solliciti.

Quod, & si ad artem hanc artium, regimen animarum, tales assumere viros, par esset, qui portando oneri, quantum humana fert fragilitas non succumberent, sed sufficerent; in eos tamen deuenimus Seculorum fines, vt multi non vocati, multi suas non metientes vires, mundanum autem commodum inhiantes, excelsum hoc, itemq; periculosum munus affectent, quòd non merentur.

Cupientes igitur diuino præsidio, tanto malo mederi, præter districtius, quam antea, quod posthac subituri sunt examen, qui ad Parochiales Ecclesias assumendi erunt, seruato Tridentino decreto; ut ijs, quos in præsentiarum ad animarum regimen habiles censuimus, in generali visitatione, ac ijs, quos coadiutores ignaris, ideoq; suspensis Rectoribus destinauimus, aliqua ex parte consulatur, nè sibi, ac ijs, quos regunt laqueum inijciant, libellum compendiarium confici mandauimus; Cui titulus est EXERCITIVM PASTORALE. Quem omnes, tùm Curati, tùm sacris initiati, intrà decem dies habere teneantur, ex eo quotidiè aliquid perlegere sæpius repetere, ac etiam si fieri potest memoriæ commendare, quo intelligere valeant, quæ pro recta Sacramentorum administratione scire teneantur.

Illud autem in primis eis curæ erit, ne suis in Parochijs scandala oriantur, nè quis de hæresi, quod absit aspersus, siuè de Fide sit suspe-

ctus,

ctus. Quod si, aut sciant, aut probabili aliqua ratione suspicentur aliquem de Religione, ac de Fide non rectè sentientem, ad nos statim perferant. Qui verò in tam necessario opere negligens erit, excommunicationi subiaceat.

Qui item, vt pleniùs oues sibi creditas cognoscere, earumq; rationem habere, ac reddere, cum opus fuerit accuratius possint; librum habeant, vbi omnium suę curę commissorum nomina, ętates, ac sexus adnotentur: insuper & eorum, qui ad habitandum in sua Parochia recenter venient, quiq; ab ea discedent: item qui nascuntur, quiq; è vita migrant.

Libros insuper singulis conficient, in quibus iuxtà pręscriptam formulam in fine Synodi apponendam, eorum qui baptizātur, qui etiam confirmantur, & Compatrum, qui adhibentur, nomina describant. Item, & eorum, qui matrimonio iunguntur; adnotatis diebus, quibus denunciationes in Ecclesia factæ sunt.

Horum verò librorum exemplar, ordine in fine huius Synodi apposito, completo annò, iuxtà decretum Synodi Prouincialis, in Archiepiscopali Archiuio conseruandum deferant; è libro autem animarum, post primum exemplar nobis oblatum, numerum tantùm quolibet anno eliciant, & nobis præsentent eorum, qui illo anno in lucem editi sunt, & qui diem clauserunt extremum.

Habeant insuper Catalogum omnium pauperum suæ Parochiæ puellarum, orphanorum, viduarum, atq; aliarum miserabilium personarum, quę mendicare erubescunt, vt aliqua ratione ijs consuli possit.

Cumq; Pastores animarum, vt Christi ministri digni esse videantur, doctrina instructos esse oporteat, prudentia pręterea, atq; honesta, & probata vita pręditos. Illud in primis obseruandum eis erit, vt pręter Dominicas, & reliquos festos dies, insuper ter saltim in hebdomada celebrent, vt in dies vberiori copia gratię aucti, efficacius aliorum salutem procurare possint, & sibimet assiduis Deo precibus sapientiam impetrare; scriptum est enim, Qui indiget sapientia postulet à Deo.

Doctrinam autem, vt assequantur, caueant, ne ità externis occupationibus, etiam si pię sint distrahantur, vt aliquod temporis eis non supersit, quod saltem ad studium casuum conscientię conferant; qui verò secus fecerint lethalis peccati noxę, deuinctum se esse ex approbati Doctoris Nauarri sententia nouerit; atq; ideò, qui à nobis in generali visitatione approbati sunt, nè sibi nimium confidant, quandoquidem

dem habiles existimati sunt,si studuerint. Veruntamen si quòd eis dubium orietur, in ijs præsertim, quæ ad pœnitentiæ Sacramentum spectant, faciles ad deliberandum, atq; præcipites minimè sint; sed peritiores consulant, nè sibi, & pœnitentibus, sua ignauia, laqueum inijciant.

Porrò potissima Rectorum cura in Sacramentis ritè administrandis versari debet, qua in re omninò obseruent Romani ritualis ordinem: quod intrà duos menses habere teneantur, impressum Venetijs præsenti anno 1592. studeant autem occasione accepta ex Cathechismi lectione, frequenter plebem sibi commissam docere, quantum animarum saluti Sacramenta conferant, quidvè operentur: præsertim verò Eucharistiæ, & pœnitentiæ fructus, effectus, & vtilitates exponant, quo Christi fideles ad eorum frequentiam accendantur, ad ea verò administranda caueant ne accedant cum lethalis peccati conscientia, nisi prius per confessionem expientur. quod si vrgente necessitate id præstare nequiuerint, conterant statim cor suum debita contritione, cuius partes necessarias omninò scire teneantur; ministerio deinde absoluto statim confiteantur.

Tabernaculi vbi Sanctissimum Christi Corpus asseruatur, Fontisque, & loci, vbi sacra olea, ac item reliquiæ repositæ sunt, claues singuli Parochi apud se habeant, secum deferant, diligenterque custodiant, ac nemini, præterquàm collegæ curato, non autem alicui, neq; Sacerdoti, illa vllo modo committant; aut in eodem tabernaculo, vel alibi relinquant, sub pœna suspensionis ad tres menses, & ammissionis fructuum illius temporis.

Cappellanos sibi ad animarum curam, propria authoritate adiungere nequeant, nisi à nobis, siuè à nostris examinatoribus ad Sacramenta administranda, præuio examine fuerint approbati.

Mores, ac vitam sibi subditorum diligenter inuestigent, ac obseruent, prestò sint ad fraternam correctionem, iuxtà præceptum Domini faciendam, ijs, qui deliquerint, sed publicis potissimum peccatoribus, vt concubinarijs, vsurarijs, & huius generis alijs, quos nobis deferent, cum primùm incorrigiles esse cognouerint.

Si quos in eorum Parochijs esse deprehenderint, qui Dominicis, & festis diebus sancto Missæ Sacrificio interesse non soleant, prius eos admoneant; qui se postea non emendauerint, ad nos referant, vt oportuniori remedio subuenire valeamus.

Ludi magistros sæpius hortentur eorum Scholas adeuntes, vt pue-

ros Christianæ Fidei rudimenta doceant, & festis diebus ad Ecclesias ad Christianam Doctrinam addiscendam mittant, vt (quibus per ætatem licet) saltem semel in mense peccata confiteantur, & Sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumant, vtq; Præceptores ipsi ab exponendis, legendisvè libris impudicis, res obscœnas, siue turpes continentibus omninò abstineant; quod si secus, eos facere deprehenderint ad nos deferent, vt in eos debitis vltionibus animaduertamus. Deinceps verò docendi munus intrà suæ Parochiæ limites, à nemine suscipi permittant, absq; nostra in scriptis licentia, & facta Fidei professione, de qua ipsis ex authentico testimonio constare debeat.

In Ecclesijs in posterum, neque inter Missarum solennia, nec post, nisi Bullas tantum Apostolicas, quæ eis pro tempore transmittentur; Edicta nostra, excommunicationes, festos dies, ac vigilias, matrimoniorum denunciationes, lectionem Cathechismi, & aliorum spiritualium librorum legant, aut publicent; nihil prætereà aliud: si quid autem furto subtractum est, vel alia ratione deperditum, denuncient Clerici, vel alij Sacerdotes, non tamen celebrantes, & extrà Missarum solennia.

Quę de residentia in Sacrosancto Tridentino Concilio statuta sunt, exactè obseruent: illud prætereà mandamus, ne posthac Parochi, qui in eorum Parochijs coadiutorem, siuè alium Cappellanum à nobis approbatum in Sacramentorum administratione non habent, à locis suæ residentiæ vllo modo absint, iuxtà formam edicti olim emanati.

Obseruent tandem disertissimas monitiones, quas & ideò frequentissime perlegant, quas ex Prouincialibus Concilijs Mediolanensibus, à Carolo, recolendæ sanctæque memoriæ, Cardinale Borromeo, & Archiepiscopo Mediolanensi editas excerpsimus, & præsenti Synodo additas imprimi mandauimus.

De Sacramento Baptismatis.
Decretum VI.

PAROCHI infantem non alio Chrismate, quàm illius anni inungant, excepto mortis articulo.

Compatres nè adhibeant, qui, eo anno statuto ab Ecclesia tempore confessi non fuerint, & Sanctum Eucharistiæ Sacramentum non sumpserint, neq; item excommunicatos, suspensos, aut interdictos, siue publicos concubinarios, aliosvè infames, & publicè criminosos, neq; alios, nisi interrogent prius, an Fidei rudimenta sciant, ijs dumtaxat exceptis, quos ea non ignorare certo sciunt. Antequam verò aliquem ex ijs admittant, curent, vt ipsi sciant quid agatur, intelligantq; hoc Sacramento Christo filios spiritualiter generari, teneriq; pro suo, susceptionis officio, eos Catholica Fide, & probatis moribus instituere; Si parentes id facere omiserint, quod vulgari lingua faciendum erit, vt susceptor plenè intelligat, quid cum Deo paciscatur.

Doceant etiam Parochi, quòd spiritualis cognatio nascitur, inter suscipientem, & baptizatum ipsum & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatiq; patrem, ac matrem tantum: Quæ cognatio matrimonium impedit contrahendum, & contractum dirimit; compatres, & commatres, infantium, quos susceperint, parentibus, nihil baptismi tempore largiantur.

Mulieres, siuè viri, infantes exponentes, ipsos prius baptizari curent, schedulamq; paruuli collo apponant, qua baptizatum esse significetur, eorum nomine ascripto: Infantes verò expositi, & si collo appositum habeant testimonium baptismatis, si tamen illos baptizatos esse, alia ratione, non constet, baptizentur sub hac verborum formula. Si tu es baptizatus, ego iterum te non baptizo, & si non dum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Quòd si in ea schedula nomen sibi impositum ascriptum sit, illud idem imponatur; schedula verò ipsa asseruetur, & in libro baptismi notetur, quo testimonio munitus, repertus sit.

Sacerdos secus, puerum verè, & ritè baptizatum, iterum baptizare præsumens, præter irregularitatem, quam incurrit, grauiter punietur.

Parochi à vicario nostro generali diligenter examinentur, an Sabbato Sancto Paschatis & Pentecostes fontes ritè benedicere nouerint adhibitis ceremonijs iuxtà Rubricas Romani Missalis, eos verò semel in hebdomada inspiciant, an puluis, araneę, vermiculi immundum ali quid ibi ceciderit, & purgent.

Qui item curabunt, ne aqua baptismatis, neq; ante admixtionem sacri Chrismatis, eoq; minus post, pro medicina, neq; alia de causa alicui detur.

Populum verò, & præsertim obstetrices, rectam baptismatis formam diligenter doceant, vt in periculis positos infantes ritè baptizare possint. Itemq; fœminam præsente viro, laicum verò præsente clerico, clericum deindè præsente eo, qui ordine superior sit, baptizare non posse, caput abluendum, ac simul vno, eodemque tempore abluendo verba formæ esse proferenda.

Licet à Prouinciali Concilio hortati fuerint omnes vtriusq; sexus, infantibus Gentilium & Paganorum nomina, nè imponerent, sed Sanctorum, Sanctarumvè nominibus eos decorarent, vsu tamen compertum est id non esse exequutioni demandatum, prout in conferendo confirmationis Sacramento, nosipsi experti sumus, quando inaudita quædam nomina Christiano homine penitus indigna, audiuimus; Quamobrem præcipimus vniuersis, & singulis Parochis, Curatis, & Rectoribus, vt accedentibus ad baptizandum puerum omnes prius moneant, vt id præstent, vt cum nomine bono hæreditatem capiant virtutis.

De Confirmationis Sacramento. Decretum VII.

CONFIRMATIONIS Sacramentum minoribus septem annis posthac, non conferetur, iisque confessis, & contritis tantum. Patrini verò plures duobus eadem die, non suscipient. Qui item easdem conditiones habeant, quas qui in baptismate adhibentur, habere decreuimus.

Parochi verò confirmatorum nomina, in libro descripta ad nos transmittant, vt eorum Catalogus, etiam penes nos asseruetur.

Licet

Licet autem hoc Sacramentum, non sit necessitatis, cauere tamen quisq; maxime debet, ne in eum impietatis gradum peruenerit, vt illud aspernetur. Ideoq; curent Parochi diligenter inuestigare eos, qui non dum hoc Sacramento insigniti sunt, & singulis annis eorum notulam conficere, vt aduenientibus deindè nobis ad visitationem, sciant, qui illud non dum suscepere, & nobis præsentare procurent ad suscipiendum.

Porrò festo die vltimo ante eam diem, qua Confirmationis Sacramentum, per nos aliquo in loco fidelibus ministrandum erit. Hæc populo publicare vulgari, ac materna lingua, scriptaq; Ecclesiæ valuis affigere, teneantur.

Nemo ad hoc Sacramentum suscipiendum accedere audeat ante septennium, vt sic aliqua ratione eiusdem Sacramenti mysterium intelligere valeat.

Qui verò septennium excesserint, priùs peccata confiteantur.

Qui confirmandum suscipiet dextro brachio eum substentet. Adulti verò dextrum pedem dextro Patrini suscipientis superponãt.

Moneant Patrinos tùm viros, tùm fœminas suum esse instruere, & informare susceptos pueros bonis moribus & operibus, eosq; Christianarum virtutum viam docere monita salutis, & præsertim rudimenta Fidei, si tamen parentes eorum id neglexerint.

Hoc Sacramento eandem spiritualem cognationem contrahi, sicuti, & in baptismate, quæ post Sanctum Tridentinum Concilium impedit Matrimonium, tantum inter suscipientem, & susceptum, susceptique Patrem, & Matrem.

Vnum tamen Patrinum adhiberi posse, neq; referre an suscepti sit affinis, necne dummodo non sint proprij suscepti parentes.

Neminem posse plures duobus, aut tribus eadem die, absq; nostra facultate suscipere.

Neminem, qui non sit confessus, posse esse in confirmatione Patrinum.

Neminem item excommunicatum interdictum, aut grauioribus facinoribus alligatum; aut publicè criminosum; aut qui in Paschate Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum non susceperit, posse esse Patrinum.

Quod item, qui alterius sunt diœcesis, & in nostra permanentem non habent incolatum ad hoc Sacramentum suscipiendum, absq; sui ordinarij in scriptis obtenta facultate accedere ne audeant.

Quòd

Quòd nemo antè perceptam à nobis benedictionem, post expletum confirmandorum numerum discedere præsumat.

Moneant demum omnes, tùm adultos, tùm puerorum parentes, vt confirmandi deferant cartulam signatam nominibus ipsius confirmandi, necnon suorum parentum, & Patrini.

De Sanctissima Eucharistia.
Decretum VIII.

IN vigilia, & octaua Corporis Christi, Matutinum officium interdiù dicatur, quo fideles indulgentias à Summis Pontificibus Vrbano IIII. & Clemente V. concessas consequi valeant, absoluatur autem omninò ante Solis occasum.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum decenti loco asseruetur, eo.s. mundo, tuto, ac firmo, ac bene obserato; intus verò tabernaculum adsit altare portatile consecratum, mundo Corporali opertum, quod bis in mense mutetur, sitq; omni ex parte interiori serico ornatum: extra verò Conopœum habeat pro loci qualitate accommodatum; particulæ tot detineantur, quot arbitrio Parochi sufficere videantur iuxtà populi numerum, eæq; singulis Dominicis diebus, vel feria quinta renouentur.

In eodem tabernaculo, quamuis distincto in loco oleum infirmorum, Reliquiæ, aut alia huiusmodi minimè detineantur: Etiam si lampadis continuò ardendæ cura Confratribus societatis Sanctissimi Sacramenti, immineat.

Parochi tamen munus erit attendere, vt semper luceat, & manè, ac vesperi aptetur, ne noctu extinguatur. Qui neglexerit pœnam viginti librarum ceræ incurrat.

Cùm autem Sanctissimum Sacramentum ad infirmos deferetur, quà decet reuerentia associetur pro loci commoditate, debito luminarium numero, inter quæ nè desint lampadaria duo bene obserata, vt vento irruente, saltem duæ illæ faces accensæ remaneãt, adsit Clericus, qui tintinnabulum deferat, simul etiam aspersorium, & Bursam cum Corporali pro reponendo Sanctissimo Sacramento, si locus aptus sit, & si infirmus aliquid oblitus, iterum confiteri vellet.

Proindè cum abusus irrepserit in Metropolitana nostra Ecclesia, vt associãdo Sanctiss. Sacramẽto multoties desint, qui hastas vmbrellę, ac cęreos deferãt, atq; adeò, vt sæpius cogatur Sacerdos ipse, Sacramentũ in manibus habens, ante fores Ecclesiæ sistere, vt vel sic ad associãdum aliqui compellantur, sæpius autem non sinè maximo, tum Ecclesiæ, tum Ciuitatis dedecore fœminę ipsę id muneris exequantur.

Moneantur Assistentes Montis Pietatis, cui societas Sanctissimi Sacramenti annexa est, vt infrà quindecim dies, à publicatione præsentium aliqua ratione, huic absurdo obuiare studeant: etiam destinando nonnullos ex ijs, qui propè Ecclesiam habitant, satisfaciendo huic muneri, quod si elapso mense non præstiterint ab administratione sui officij nostro arbitratu suspensi sint.

Parochi verò sit monere tunc infirmũ, & ea occasione nacta ad stantes, vt muniant se salutari Sacramentorum frequentia, contra aduersa omnia; simulq; ab infirmo eliciat petitionem extremæ Vnctionis: quæ cum petentibus tantum detur; prouideat ne ingrauescente morbo illã petere non valeat: dum deferet autem Psalmos, & Hymnos in honorem Sanctissimæ Eucharistiæ, siue pro ęgroti animæ salute recitet.

Curent Parochi omnes, vt Eucharistiæ Sacramentum, pręterquam imminente mortis periculo, manè tantùm ad infirmos deferatur; ne absq; necessitate communicent per viaticum, cum sæpius, si præmaturè admoneãtur, ieiuni sumere possint, quod vt commodè perficere valeãt suum erit munus, omnes Ciuitatis Confessarios admonere studeant ægrotis, vt statim post Confessionem communicent.

Deferantur autem semper plures particulæ, ità vt vna saltem in reditu remaneat, quam populus adoret; similiter, & aliæ in tabernaculo asseruentur: Parochus ægroto Eucharistiæ Sacramentum ministrare, ob aduersam suam valetudinem, non valens, alium Sacerdotem ad id munus exequendum non mittat, quàm qui in scriptis facultatem habeat audiendi Confessiones, excepto tamen casu necessitatis, vbi alius non adsit, & mortis immineat periculum, vt possit ægrotus iterum si velit, aut aliquid omiserit, confiteri.

Adsit qualibet in Parochia decens vas pro deferenda Sanctissima Eucharistia in processione solenni festiuitate Corporis Christi, & pro alijs processionibus in tertia Dominica cuiuslibet mensis, illud verò nullaretus vitreum sit, habeatq; lumulam aptè appositam; Abusus verò ille penitus tollatur, quo ientacula parabantur Clericis in supplicationibus solennibus Sanctissimi Corporis Christi.

Memi-

Meminerint verò Parochi, præter solennes processiones, quæ in die Corporis Christi, & per octauam fiunt; in alijs, in quibus Sanctissimum Sacramentum deferri consueuit Tabernaculum, ubi illud defertur, ueli extremitatibus, quod ipsi à collo dependeat contegere.

Nullatenus Sanctissimum Christi Corpus feria V. in Cœna Domini, cum in sepulchro reponitur, in eodem vase, quo deferri consueuit in processionibus, asseruetur, sed iuxtà Missalis Rubricas intus Calicem reponatur, vnde feria vj. in Parasceue, in Missa, quæ statis ritibus celebratur, non sine misterio, extrahatur, Diacono patenam subministrante.

Dum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum populo administratur, non liceat pro purificatione Calicem, aut Sacratum aliquod vas, Calicis formam præ se ferens, populo porrigere.

Qui in Paschate Sanctum Eucharistiæ Sacramentum, non perceperunt, præuijs monitionibus & non aliter, excommunicentur.

Rudes verò & Agrestes, qui Paschali tempore in oris maritimis extrà nostram diœcesim degunt, si deindè cum domum reuertuntur, testimonium afferent, suæ Confessionis, & Communionis, ad Communionem admittantur, dumtamen iterum prius proprio Parocho, seu alteri ex nostra, seu nostri vicarij licentia, confiteantur.

Dominica Palmarum moneant Parochi, inter Missarum solennia, populum, teneri ex præcepto Ecclesiæ ab ipsamet Dominica Palmarum, vsque ad octauam diem Dominicæ Resurrectionis, iuxtà Constitutionem Eugenij, in propria Parochia Eucharistiam suscipere.

Deinde post mensem quilibet Parochus Catalogum eorum, qui sacram Communionem non susceperunt, nobis, aut nostro vicario deferant; qui verò secus fecerint, suspensionem ad mensem incurrant, ab exercitio ordinum, itemque à fructuum perceptione.

De celebratione Missarum.

Decretum IX.

DIVINA res est, Sacerdotij administratio, cui qui prę-sunt tales esse debent, quales oportet esse, qui ex hominibus assumpti pro hominibus constituuntur in ijs, quæ sunt ad Deum; vt offerant dona, & sacrificia pro peccatis. Sanè quanta animi puritate, quanta pietate, ac religione, cœleste hoc sacrificium sit peragendum, ipsamet actio indicat; vt quæ sit repræsentatio quædam ad viuum repręsentans, varijs gestis, & actibus altissimum illud Crucis Sacrificium, quo Dei filius seipsum Deo Patri immaculatum obtulit pro nobis; & qua simul offertur Deo verum, ac propitiatorium Sacrificium Corporis Christi Domini.

Studeant igitur, qui ad cęleste illud conuiuium, tremendamq; mensam properant, puros (quantum mortalibus licet hominibus) accedere, atq; adeò seipsos districto probent examine, ne mortalis reatus conscij, aut de eo probabiliter dubitantes, sine præuia sacramentali confessione, aut vbi copia Confessoris non suppetit, & vrgens immineat necessitas, sine debita contritione, iudicium sibi manducent, & bibant.

Insuper & memores (vt par est) Dominici illius præcepti, Hoc facite in meam commemorationem, sæpius Angelorum escam hanc appotant, vnusq; illis sit dolor, hac esca priuari. Cum enim nobilissima sit Sacerdoti tributa potestas, reus profectò negligentis, atq; ingratitudinis erit, nisi illa vtatur, ad Dei honorem, suam salutem, atq; subuentionem aliorum viuorum, & mortuorum, vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrans.

Præcipimus ergò, vt Sacerdotes saltem singulis festiuitatibus solennibus, & Beatorum Apostolorum, ac Dominicis diebus celebrent;

Curati verò, singulis diebus, nisi legitimè impediti.

Porrò qui aut infirmitatis, aut canonici alicuius impedimenti causa non celebrant, singulis Dominicis diebus communicent, vel quarè id non fecerint, Archipresbytero denuncient.

Diaconi, Subdiaconi, & inferioribus ordinibus insigniti, præter solennes dies, singulis quoque tertijs Dominicis, in conuentuali Missa communicent.

Altari ministrantes, epistolam, ac Euangelium canentes singulis, festis, atq; Dominicis diebus in eadem Missa, cui ministrauerint, communicent, sacerdotes quidem stolam habentes, quæ à collo dependeat, & superpelliceis appositam. Diaconi verò diaconali more à dextro humero, ad sinistrum inflexa.

Sacerdos celebraturus, Missam prius inueniat, ac perlegat, lotis deinde manibus in Sacrario, per aliquod spatium oret, & præparet se diuino huic sacrificio, qua decet attentione, peragendo; eoq; peracto pro gratiarum actione orabit. Dum verò sacerdotalia induit paramenta, consuetas recitare orationes, nullatenus omittat, ac ita sacro habitu indutus meminerit personæ, quæ refert, & actionis, ad quam perficiendam se accingit, proindè cum nemine fabuletur, nevè deambulet, neq; vllo pacto cum alijs loquatur, sed tacita secum animi cogitatione attentionem paret, ad intentionem consecrationis, & sacrificij oblationem; cui nam illud applicare intendat.

Candelæ, nisi perlecto vltimo Euangelio, ne extinguantur; in altari, neq; biretum ponant.

Vino vtantur albo, eoque recenti, ne corporalia maculentur, quæ item omni studio munda erunt asseruenda, cumq; immunda erunt lauentur ab aliquo in sacris constituto, aqua in Sacrarium proiecta.

Curabit autem Sacrista Missas, ità congruis inter se spatijs celebrari, vt ab aurora, vsq; ad horam nonam pro populi commoditate non desint. A Sacristia verò sinè Sacristæ licentia celebraturi non exibunt, ac proindè vt hæc, recto ordine exequantur, curet Sacrista tabellam singulis hebdomadibus conficere, in qua suo ordine describantur sacerdotes, singulis horis celebraturi, ne præpostero ordine, aut omnes simul, aut magna interiecta mora celebrent, nevè cuiq; suo arbitratu, & qua sibi videbitur hora liceat celebrare.

Qui item Missarum seriem, singulis diebus iuxtà ordinem à nobis in tabella descriptum, & Sacristiæ affixum, ab ijs, qui tenentur pro suis oneribus satisfaciendis exequi curabit. Testes autem Synodales prouidebunt, vt in singulis suæ regionis Sacristijs liber asseruetur; vbi propria manu sacerdotes, qui eo die celebrauerunt adnotent se Missam celebrasse, pro sibi imposito onere, quod his verbis fieri poterit. Ego N. sacerdos celebraui hoc mane in tali cappella pro satisfactione oneris Oratorij N. Elapso verò mense, quos non celebrasse Synodalis Præpositus reperiet, ad persoluendos tot carolenos compellat, quot dies, quibus tenetur celebrare omiserint, eosq; statim alijs

siue

siue Secularibus, siuè Regularibus eroget, qui pro defunctorum illorum animabus satisfaciant: adnotatis omnibus in alio ad id muneris confecto libello.

Suum item erit animaduertere, vt sacerdotes, qui pro legatis pijs præscriptæ alicui cappellæ inseruire tenentur, nullatenus alibi celebrent, quam ibi, sinè eius licentia; qui secus fecerit à fructuum illius oratorij perceptione eo ipso suspensus censeatur per mensem, eos verò alteri assignare compellat, qui ibi toties celebret, quoties proprius Cappellanus deseruerit.

Cappellani autem diebus festis, tam in primis vesperis, & secundis, quam in Missa proprijs paramentis altaria illa ornare teneantur.

Qui sacerdos in aliqua Ecclesia sacrum facere, aut singulis, aut statis quibusdam diebus tenetur is, ne alibi celebrare audeat, nisi prius sacerdotem alium substituerit, qui ibi celebret. His autem omnibus dimissoriæ literæ absentiæ causa non concedantur, nisi constito prius de alterius sacerdotis subrogatione.

In parochijs, & Ecclesijs vbi plures sacerdotes celebrant, duæ missæ, altera in aurora pauperum rusticorum commoditati altera verò post Missam conuetualem, siuè paulò antè horam nonam dicantur.

Quod & in Ciuitate obseruatur tùm in Metropolitana, & Regularibũ Ecclesijs, tũ etiã pro aurora in Ecclesia SS. Leonardi, & Nicolai.

Nullus alienæ Diœcesis ignotus Sacerdos alicubi ad celebrandum admictatur, nisi de nostaa, nostri Vicarij, aut testis synodalis licentia, eam autem non concedant, nisi sui ordinarij facultate exhibita: qui secus fecerit decem ducatorum pœna mulctetur. Regulares verò moneantur, vt idem in suis Ecclesijs obseruari curent.

Moneantur item mulieres ad ecclesiam accedere nolentes, post obitum suorum, quòd si elapso mense ad sacrum audiendum non accesserint, excommunicationem subibunt, atq; in valuis Ecclesiæ earum nomina affixa promulgabuntur.

Sacerdotes recenter ordinati, non celebrent nisi prius obtenta à nobis licentia, vt videre valeamus, an missæ ceremonias rectè nouerint. In prima verò missa, (quã vulgò nouellã dicũt) nè conuiuia, choreas neque in Ecclesia, neq; alibi fiãt, proposita excõmunicationis pęna, donaria verò recipere possint post missæ celebrationẽ in altari dũmodo Ecclesiã ipsi, vel alij hac de causa nõ circumeãt: sed potius ea pſertim die cogitet secũ deuota animi meditatione nouus sacerdos q̃ta fuerit dignitate insignitus, & ei q̃ benè suis moribus respõdeat, quin, & excelsũ

illud, ac sublime sacerdotalis ordinis fastigium, iàm intuitus, non sine ingenti timore, casus periculum mente recogitet, ac pertimescat.

Parochi sæpius populum doceant, quæ tenentur, dum tremendo Missæ Sacrificio assistunt, scilicet detecto sint capite. Ambobus genibus flexis præterquam dum Euangelium legitur.

Missæ Sacrificio (vt satisfaciant præcepto) sint intenti;

Neminem tunc temporis alloquantur.

Ne discedant ante Sacerdotis benedictionem.

Quos verò contra hæc præsertim vltima capita, quæ ad præceptũ adimplendum necessariò exiguntur, facere deprehenderint, debitè corrigant, & admoneant.

Qualibet Feria secunda, dummodo duplici, aut semiduplici festo impedita non sit, & extra octauas tàm solemnes Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, & Assumptionis B. Mariæ Virginis, quam alias, & præter hebdomadam Sanctam, & in Metropolitana Ecclesia, & in alijs Ecclesijs diœcesis, quibus plures tribus sacerdotibus inseruiunt, Missa pro defunctis, cum responsorio dicatur.

Cæteris verò diebus, similiter non impeditis, tàm in nostra Ecclesia, quàm in alijs, vbi plures Missæ celebrantur, quotidiè vna pro defunctis omnimodè dicatur.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Decretum X.



VANTI sit momenti Sacramenti Pœnitentiæ administratio nouerunt, qui Patrum lectioni assiduè versati sunt, experiuntur autem, qui non humano aliquo affectu, sed vero zelo animarum salutis procurandæ, illam expetunt; nouerunt, & timoratæ conscientiæ viri id refugientes, potiusquàm, vt cæteri genus hominum appetentes; nam quis non pertimescat, ne cęcus cęco ducatum præstans, ambo in ęternæ damnationis foueam decidant, & suorum delictorũ sarcinam portare nõ valens, aliorũ peccatorum, quibus curandis, ignorans sese ingessit grauiora pondera suis humeris, vltrò sibi imponat. Pensent igitur, & magna secum animi cogitatione diutius perpendant,

suasq;

suasq; metiantur vires, quotquot periculosum hoc munus affectant; & tum demum ad id se aliqua ratione agnoscant idoneos, si quas exigunt in Confessario cōditiones Doctores, sibi non deesse, certò sciant; parumq; est hoc, si formidandum istud, atque terribile officium non temporalis alicuius rei gratia expetant: sed vero charitatis affectu, vt quibus à Deo ditati sunt talentis proximos iuuent.

Omnes igitur, qui confessiones audire gestiant, illud in primis caueant, nè fauoris (quas dicunt literas commendatitias) pro facultate huiusmodi obtinenda, sibi procurent nevè oretenus se ab alijs commendari, nevè item munera huiusce rei causa deferre audeant. Qui secus fecerint eo ipso à nobis indigni hoc munere censebuntur; illud autem certò sciant, si idonei re vera sint, ad sacramentales confessiones audiendas se vltrò examini subijcientes facultatem impetraturos; secus verò nullo prætextu, nullorum vè intercessione, sine autem præuio examine, nemo vllo vnquam tempore admittetur.

Qui ergò à confessionibus audiendis erunt, sciant non satis esse solùm absolutionem pœnitentibus concessisse, remissionemque pœnitenti condonasse, nisi etiam peritiam habeant adhibendi remedia ęgrotis, & criminum vulnere sauciatis, remouendi occasiones peccatorū, aliquando etiam denegandi absolutionem, certis quibusdam in casibus, quod vt rectè exequi possint exercitij Pastoralis libellum habeat nostro, vt dictum est, iussu confectum.

Caueant autem nè extrà sedem (quod Confessionale vocant) confessiones audiant, maximè mulierum, neve abdito aliquo ecclesiæ loco, sed palàm: Confessionale ante tabellam ligneam habeat interiectam in qua sit fenestella, cui densa cratis ferrea, aut ærea perforata, vel saltem lignea hæreat: Pœnitentem verò, non ex aduerso, sed ad dexteram, siuè ad sinistram habeant, vt mutuum fugiant aspectum faciem, sibi manu tegant, vt qui confitentur libentius suorum peccatorum scelera aperiant.

Nemo posthæc Confessarius confitentem ex alia parochia, aut diœcesi audiat, sine nostra, seu nostri Vicarij, & illius Parochi licentia; Quos verò casum aliquem suo proprio Episcopo reseruatum habere inuenerit, & declinandi sui ordinarij causa, data opera in sua diœcesi confiteri noluerint prohibemus nè omnino absoluant, sed ad proprium Episcopum remittant, nisi illud peccatum in aliena diœcesi commiserint.

Parochi nè tempore Paschali, quandò suo proprio Sacerdoti quilibet

liber confiteri tenetur faciles admodum sint ad concedendam licentiam suis subditis, vt alieno Parocho peccata confiteantur, præsertim ijs, quos verisimiliter, intelligent hac arte, eam petere, vt crebra cõfessarij mutatione, sua scelera facilius contegant; liceat tamen Parocho, paschali; & aliarum frequentium confessionum tempore, tot sacerdotes confessarios, (probatos tamen à nobis) sibi adiutores adiungere, quot erunt necessarij.

Qui alio, quàm proprio Parocho confitetur in paschate fidem in tessara, siue aliqua alia notula a confessario acceptam, pridie communionis generalis, scilicet feria v. maioris hebdomadæ, & sabbato sancto proprio Parocho deferat, siuè alteri personæ huic muneri destinandæ, qui eius nomen notet in proprio libello.

Qui confessarij pecuniarias pœnitentias sibi ipsi persolui fecerint, aut Missarum celebrandarum pro pœnitentia onus assumpserint, siuè regulares, siuè seculares fuerint, ipso facto a confessionibus audiendis sint suspensi, qui item a pœnitentibus etiam spontè dantibus eleemosinam acceperint.

Nemo confessiones mulierum priuatis in ædibus audiat præterquã ægritudinis, aut alterius necessitatis causa, quo casu, ostium cubiculi sit partim apertum; sed publicè in Ecclesia in locis deputatis, neque etiam in Ecclesia noctu, absque nostra, vel nostri Vicarij licentia.

Neminem adolescentulum ad sanctissimæ Eucharistiæ perceptionẽ posthac admictãt, nisi prius rectè nouerint ea, quæ ad salutem scire oportet, rudimenta sanctæ fidei, eumq; examinent, ac de vi, & efficacia tanti sacramenti apprimè instruant, præparentq; vt oportet.

Nemo confessiones audire præsumat, qui sibi prius non comparauerit Bullam Cœnæ Domini, & casus nobis reseruatos, ac item rectè nouerint canones pœnitentiales. Casus autem nobis reseruati hi sunt. Præter votorum, & iuramentorum commutationes, & irregularitatũ dispensationes, necnon absolutiones suspensionis, interdicti & excommunicationum maiorum, quæ summo Pontifici, & Episcopo sunt reseruatæ.

1 Blasphemantes DEVM, vel B. VIRGINEM.

2 Homicidium voluntarium, & realis abscissio membri, mandantes quoq; & auxiliantes. Procurantes etiam abortum post animatum fœtum.

3 Verberantes parentes suos.

4 Sacrilegi, & diuinatores cum expressa Demonum inuocatione.

5 Cum

5 Cum Monialibus turpiter loquentes, aut literas amatorias, vel munera turpitudinis causa mittentes, earumve violatores, & earum claustra sine nostra in scriptis licentia ingredientes.
6 Concubinarij, & Concubinæ tàm publici, quàm secreti.
7 Sodomitæ, & coeuntes cum bestijs, Incestuosi vsq; ad secundũ gradum consanguinitatis, aut affinitatis inclusiuè, in cognatione spirituali ita vt masculi tantum comprehendantur, fœminæ verò ab omnibus possint absolui.
8 Curati extra confessionem concubinarios, & concubinas scientes, & nobis non reuelantes in Ciuitate infra sex dies, extra Ciuitatem infra quindecim, vel diligentiam ad effectum prędictum non adhibentes.
9 Vsurarij publici, vel secreti, & Notarij, Iudices, & testes, vsurarijs contractibus interessentes malitiosè, & scienter.
10 Qui in iudicio falsum dolosè deposuerint, vel ad id faciendum aliquem seduxerint, vel quomodolibet induxerint, & qui falsas scripturas cũ piudicio tertij cõposuerint, vel eis sciẽter vsi fuerit.
11 Stuprantes virgines violenter, & mulieres quascunq; rapientes.
12 Incendiarij & arborum fructiferarum incisores ex proposito.
13 Abutentes Sacramentis ad superstitionem.
14 Vsurpantes, & detinentes bona, vel scripturas ecclesiarum, aut hospitalium, & quorumcunq; piorum locorum.
15 Sponsi consumantes matrimonium antequam contraxerint per verba de prę senti.
16 Lacerantes faciem, & capillos euellentes, & mulieres quas vulgo vocant reputatrices ob mortem suorum, vel aliorum.
17 Mulieres non accedentes ad Ecclesiam ad audiendum sacrum diebus festis, saltem post mensem à die obitus suorum consanguineorum, vel affinium.
18 Clerici qualitercunque beneficiati, aut in sacris constituti in habitu sęculari incedentes, nec non tam supradicti, quàm clerici omnes arma deferentes.
19 Parentes, seu alij in sua potestate habentes mulieres virgines, quę alioquin ad alia loca accedere consueuerunt, illasq; ad Ecclesias festis diebus ad audiendum sacrum non mittentes.
20 Raptores virginum.
21 Qui locis pijs Infantes exposuerint, cum habeant vnde ipsos alãt, neq; eorum locorum damnum resarcierint.

22 Notarij

22 Notarij legata ad pias causas facta, non denunciantes.
23 Adulterantes mensuras & statera.
24 Clandestina matrimonia contrahentes, ijsq; interessentes.
25 Cogentes virginem ad habitum suscipiendum, & ad professionē exceptis causis à iure permissis; & adest excommunicatio ex Cōcilio Tridentino contra dantes quoque consilium auxilium, & præsentes.
26 Impedientes sine iusta causa mulierem, quin velum accipiat, vel votum emittat, & adest etiam excommunicatio ex Tridentino Concilio.
27 Qui publicum domi habent aleatorium, quò scilicet cuique proprio arbitratu accedere licet. Etiam si id sine lucro a domino domus fiat, quique taxillos siue aleas publicè, aut secretò locat, & huiusmodi ratione alios ad ludendum inuitat.

Excommunicationes, quæ legi solent Feria V. in Cœna Domini.

CONSVEVERE Archiepiscopi nostri prædecessores, solemni die Cœnæ Domini ad incrementum sanctæ fidei, & ad extirpationem nonnullorum grauium, & enormium scelerum excommunicationes pronuntiare contra eos, qui in graue suarum animarum, & proximorum scandalum in huiusmodi scelera incurrerint. Nos igitur sanctum hoc, & laudabile institutū sequentes, præcipimus, vt singulis annis prædicta Feria V. in Cœna Domini, tam in nostra Metropolitana Ecclesia, quàm in nostræ Diœcesis Parochijs sequentes excommunicationes, & admonitiones populo publicentur, quarum omnium absolutionem nobis tantummodò reseruamus.

1 Cum sacra templa sint Dei domus, & orationis, Excommunicamus omnes qui tumultuauerint, carcerauerint, & ex ijs personas extraxerint, & diuina officia perturbauerint, ac demum quomodocunque contra sacrorum Canonum, & summorum Pontificum Constitutiones Ecclesiasticam libertatem violauerint.
2 Cum vsura a sacris legibus appelletur vera vorago humanarum

facultatum, & pauperum pernicies, perpetuaq; damnatio animarum eorum, qui eam exercent quocunque modo: Idcirco Excommunicamus omnes Vsurarios, & Notarios, huiusmodi contractus scienter stipulantes, & eos qui nummos dant census, non obseruando Bullas Summorum Pontificum, & sacros Canones.

3 Excommunicamus etiam omnes, qui propria authoritate occupatum retinent, & iniustè possident quodlibet genus bonorum Ecclesiasticorum, tum Metropolitanæ Ecclesiæ, eiusque Capituli, tum cuiuscunque alterius Ecclesiæ diœcesis, similiter & omnes, qui scripturas retinent in damnum Ecclesiæ, & recusant restituere, vel alias rationes bonorum Ecclesiasticorum, Monasteriorum, Hospitalium, aut aliorum locorum piorum. Item scientes id, & non reuelantes intra mensem postquam id resciuerint.

4 Item monemus sub pœna Excõmunicationis, omnes institutos hæredes, & exequutores testamentorum, qui cum possint non satisfecerint legatis pijs intra terminum ad id assignatum à sacris Canonibus, vt quàm primum id exequantur. Item excommunicantur Notarij, intra 15. dies dicta legata ad nostram Archiepiscopalem Curiam non deferentes.

5 Item Excommunicantur falsi testes, & qui scripturas falsificant, aut ijs scienter vtuntur in quacunque causa, vel ciuili, vel criminali, aut in alia fide, & testimonio.

6 Item excommunicantur omnes Concubinarij publici, siue Ecclesiastici sint, siue seculares.

7 Item Excommunicantur omnes cuiuscunq; sint status, & conditionis, qui matrimonio iunguntur clandestino, quiq; sine causa seorsum ab vxoribus habitant.

8 Item Excommunicantur omnes abutentes sacramentis, & illorum materijs, sacramentorum vsibus iam applicatis.

9 Item excommunicantur quodcunque præstigiorum, magiarum, & sortilegiorum genus exercentes.

10 Item excommunicantur omnes colloquentes cum monialibus, & earum clausuram ingredientes absq; nostra licentia.

11 Item monemus sub pœna excommunicationis Clericos omnes ne permittant ignotos, & exteros celebrare, aut concionari in eorũ Ecclesijs absq; nostra, aut nostri Vicarij, seu Rectoris illius loci facultate, quod tñ sine sui superioris licentia scripta nequaquam fiat.

12 Item excommunicantur omnes Medici ipso facto, qui absq; testimonio in scriptis habito, confessionis per infirmum præstitæ: ad eundem quarto die accedere audent.

Licet autem ad Confessarij prudentiam præsertim spectet decernere, quandò absolutio impendenda, deneganda, vel suspendenda sit, neq; certi aliquid omninò statui possit; tamen vt plurimum hæc seruanda videntur.

Primò, absolutio suspendatur omnibus, qui consuetudine aliqua ducti mortaliter peccant, vt in peccato blasphemiæ, periurij, furti, pollutionis voluntariæ, & alijs huiusmodi.

Secundò, deneganda est ijs omnibus, qui sunt in euidenti, & proximo periculo peccandi arbitrio Confessarij.

Tertiò, recidiuis, cum præsertim animaduertitur euenire ex defectu contritionis.

Quartò, suspendenda est omnibus imparatis, siuè absq; sufficienti examine accedentibus, præsertim rudibus.

Quintò, suspendenda est accedentibus post annum postremis illis diebus, si peccata eorum fuerint plurima, & Confessarius credat expedire.

Sextò, non restituentibus, vel detinentibus alienum inuitis dominis cum possident. tandem optimum erit, vt plurimum beneficium absolutionis suspendere, hominibus rarò ad sacramenta accedentibus, vel in satisfactione adimplenda negligentibus.

Forma autem absolutionis, qua omnes vti debent hæc est.

MIsereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum, & indiges; deindè EGO TE ABSOLVO AB OMNIBVS PECCATIS TVIS, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita beatæ Mariæ semper Virginis

Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Si pœnitens fuerit Ecclesiasticus post verbum excommunicationis, addat, & suspensionis.

Tempore Iubilæi.

SI teneris aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, à quibus possim te absoluere, auctoritate mihi commissa, & tibi concessa à Sanctissimo Domino nostro Papa, Ego absoluo te, & restituo te Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. Dominus noster, vt supra.

Ab Excommunicatione certa.

AVctoritate N. mihi commissa, & tibi concessa ego absoluo te à vinculo Excommunicationis incursæ propter talem causam, & si teneris aliquo alio vinculo Excommunicationis, à quo possim te absoluere, Ego absoluo te, & restituo Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. vt supra.

Ab Irregularitate.

AVctoritate N. in hac parte tibi concessa, & mihi commissa, Ego dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxisti, quando est dubium, & restituo te ad actus legitimos, in quibus prius eras, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

De Extremæ Vnctionis Sacramento. Decretum XI.

PAROCHI nè pluries sacram vnctionem in vna eademq; infirmitate conferant, nisi adeò longa esset ægrotatio, vt sæpius in vitæ discrimine versetur infirmus. Præscriptis vtantur precibus, ex Rituali Romano, simulq; verba proferentes, sacram adhibeant vnctionem, qua peracta, si proximus morti infirmus est, ipsimet Parochi, tunc temporis, animæ commendationem peragere teneantur; sin verò tempus erit reuertendi, ad Ecclesiam; & infirmorum propinqui, alios non accersent clericos, siuè regulares, siuè sæculares, statim ipsi redeant, ad id munus, debito charitatis officio exequendum, pœnam verò negligentes nostro arbitratu subibunt.

De Ordinis Sacramento. Decretum XII.

INITIANDI posthac aliquo ordine, etiam si prima tonsura Kalend. Nouembris cuiuslibet anni, & deindè toto tertio die eiusdem mensis testi synodali suæ Regionis, se præsentare omninò teneantur, eidemq; in scriptis tradere nomen, cognomen, parentes, patriam, ætatem, Natales, Ecclesiam Parochialem intrà cuius fines, quisque ortus, atque illam item vbi proximè habitarit. Item beneficium ecclesiasticum, pensionem, aut patrimonium, illiusve generis censum, cuius nomine titulovè, quis sacros ordines suscepturus est, patrimonium, studium, exercitium aliorum ordinum, & alia huiusmodi; ipse verò testis eos diligenter examinabit quosq; habiles ad suscipiendos ordines existimabit, in catalogum referet, quem ad nos statim transmittat.

Porrò Parochi acceptis a nobis ordinandorum suæ regionis nominibus, iuxta Tridentinum Decretum, per mensem antè generalem ordinationem, iteratis vicibus publicè, ea populo proponent festis diebus inter missarum solemnia in Ecclesia propria parochiali, & in illa, in cuius finibus postremò domicilium ordinandi habuerint, ac prætere

tei in ea, intrà cuius limites, maior eius census, siuè patrimonij, siuè Ecclesiastici generis pars posita est, vt etiam de eius vero valore denũtiari queat: districtè præcipientes, vt si quis aliquid aduersus ordinãdos clericos habet, omninò reuelare teneatur: interim verò diligenter inquirent synodales testes, a quibus oportet, ijsque adhibitis, quæ ad publicum ea de re testimonium conficiendum exiguntur, nũ ordinandis ipsis aliquod desit ex requisitis, tã à sacrosancta Trid. Synodo, quàm a constitutione F. R. SISTI PP. V.

Quæ autem inuestigabunt, hæc erunt.

Pro initiandis prima tonsura:

An ex legitimo matrimonio sint procreati, aut secum super defectu natalium sit dispensatum:

An septimum expleuerint annum, ex libro vbi baptizatorum nomina notantur.

An ex nostra sint Diœcesi.

De vita eruditione, & moribus, præter Parochi & ludi magistri testimonium, siuè Rectoris si in seminario degat; tres prætereà, fide dignos testes examinent.

An Christianam Doctrinam frequentauerint diebus festis, siuè addiscendo, siuè docendo alios, quibus per ætatem licet.

An Chrismate sint confirmati, siuè ex libro confirmatorum, siuè si ille non adsit ex tribus fide dignis testibus.

An in Ecclesia religiosius sint versati.

De spe futuræ perseuerantiæ eosque non sæcularis iudicij fugiẽdi causa, sed vt Deo liberius inseruiant hoc vitæ genus eligere.

An Eucharistiam per annum frequentauerint?

An ære alieno grauati sint?

An in sæculari foro contumaces, aut delinquentes aliquandò extiterint, aut sint ad præsens id verò in assumendis ad cæteros ordines, tum ex predicto, tùm ex nostro foro diligenter inquirent nobisque scripto testimonio probabunt.

An aliquo canonico impedimento sint irretiti, quo minus, tàm primã tonsuram, quàm deinceps cæteros ordines suscipere valeant;

Impediti verò canonicis impedimentis hi sunt.

Minores natu,
Sacramento chrismatis non confirmati,
Insigniter Deformes.

Rudes,

Rudes, & ignati.
Criminosi.
Solenniter pœnitentes.
Neophiti.
Ebrietati, & Gulæ dediti.
Impudici.
Lapsi post ordinem susceptum.
Periuri, Vsurarij manifesti.
Infames.
Ratiocinijs obligati.
Serui, corpore vitiati.
Illegitimè nati.
Peregrini, & ignoti.
Bigami.
Irregulares quouis alio modo.
Suspensi.
Interdicti.
Excommunicati.
Amentes.
Morbo caduco laborantes.
Energumeni.
Non examinati, & probati.

Pro ijs vero, qui ad minores ordines, vel ad maiores assumendi erunt. Hæc inquirant.

De prima tonsura, siuè de ordine, quem susceperunt ex authentica Bulla.

De illius ordinis functionibus præstitis, quod exquirent, à Rectore Ecclesiæ, cui ascripti sunt; adeò vt verè exprimatur, quas functiones, quandiù, quam diligenter, & piè præstiterint.

De habitu clericali, & corona continuò gestata, à proprio Parocho.

De frequentatione Confessionis à Confessario, & Communione à Rectore Ecclesiæ.

De legitima ætate, iuxtà Tridentinum præscriptum pro singulis ordinibus.

De Promouendis ad maiora. Hæc præterea.

TITVLVM beneficij, siuè patrimonij sufficientis, non minus ducatorum triginta, qua in re, quam diligenter animaduerterent,

uerterent, ne confictio aliqua census, aut alia fraus, siuè ficta consanguineorum donatio subsit, ideoque adnotatis, illius census certis locis, & confinijs, omni prorsus via, ac ratione perquirent, an illud beneficium, siuè censum pacificè ipsimet possideant, & liberè sua authoritate pro libito fructus percipiant, an verò aliqua illius census pars ære alieno, aliovè modo obstricta teneatur.

An de huiusmodi titulo factæ sint denunciationes publicè ijs in Ecclesijs, quas suprà memorauimus. Cumque denunciationes huiusmodi fieri contingerit explicent populo post ordinatum clericum ad titulum patrimonij, patrimonium illud ordinato ità esse obnoxium, vt nemo in illud ius aliquod sibi valeat vendicare.

An de peccatis totius ante actæ vitæ generaliter confessi sint, & in spiritualibus exercitationibus temporis spatio à nobis præscripto adhibito religioso duce assignato, se exercuerint.

Pro Regularibus.

PRAETER hæc, quæ superiori loco diximus, inquirent diligenter exercitationem functionum, obseruantiam, & progressionem in religionis disciplina; item vtilitatem, & necessitatem suarum Ecclesiarum, si interstitia expleta non sint; loco autem patrimonij, aut beneficij, testimonium præstitæ professionis.

Quæ omnia pro officij sui munere, studiosè indagabunt Testes, & Parochi, vt sibi hoc de genere toto veritas omni ratione constet, ac proindè testimonia, de ijs rebus, quas suprà memorauimus, recenter data sint, neque vetustiora duobus mensibus, ea verò, de quibus alia ratione indagarunt, obsignata (vt diximus) examine plurium probatorum testium, in processu redacta, ad nos transmittent, in qua expresse adnotabunt, quodnam ex necessariò requisitis suprà à nobis dictis, cuique ex ordinandis desit; quin immo, quo ad mores ordinandorum inquirendos attinet, testificatio nulla ab ijs conquiratur, quos

sua

suæ vitæ testes ipsi attulerint, aut nominauerint; si id testimonij genus ab alijs spectata integritate viris rectè haberi queat.

Porrò literas, quibus tota hæc inquisitio, ac testificatio continetur, rectè obsignatas, non per ordinandos, sed per certum ordinarium nũtium ad nos transmittent.

Quæ omnia licet seorsum nostro iussu præstabunt testes, & Parochi, non ideò tamen excusabuntur, qui ordinandi erunt, quominus easdem testificationes de se suisque conditionibus, etiam ipsi ad nos afferant.

Alienæ autem Diœcesi, hæc secum deferent, literas veras dimissorias, non falsificatas; literas testificantes de ordine proximè suscipiendo, & proximè suscepto, testimonium de statis denũciationibus ordinis suscipiendi; Item de natalibus legitimis, & ætate: De functionibus præstitis; de ordinibus susceptis, diebus Dominicis, aut festis, & non per saltum, temporum seruatis interstitijs, vel de dispensatione in his. Testimonium examinis; Item de vita, & moribus, ac tandem de patrimonio, & titulo sufficienti; Quæ omnia ne vetustiora sint tribus mensibus.

Ordinandi igitur tàm ex Diœcesi nostra, quàm aliena ab octaua die decembris, vsq; ad feriam secundam ordinationem præcedentem coràm nobis pro examine subeundo se præsentare teneantur. Qui verò de Ciuitate ordinandi erunt ipsa feria secunda, & quarta eiusdẽ hebdomadæ ordinationis ad nos accedent.

Examinabuntur autem prima tonsura initiandi, an sciant rectè legere, & scribere, & rudimenta fidei.

Minoribus verò Ordinibus.

Ordinum functiones; item linguam latinam.

Maioribus.

Easdem functiones, & quæ Sacramentum ordinis spectant; irregularitates, & alia impedimenta.

In

In Sacerdotes denique ordinandi.

DE Sacramento Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & cæteris, quæ ſcire tenentur.

Quæ omnia in Regiſtrum redacta, ac item ea ipſa originalia, teſtimonia, cum ordinatorum libro Archidiaconus noſter diligenter aſſeruabit, eoque vita functo, hæredes eius Archiuio noſtro deferre teneantur; quorum inſuper nomina in Annale regiſtrum à Notario noſtro, qui ordinationi pro tempore intererit, reponi mandamus.

Nouerint autem omnes, nos neminem poſthac ad quemlibet ordinem, prima dumtaxat tonſura excepta, promoturos, niſi prius, authentico nobis teſtimonio probauerint, ſe frequenter proprio Parocho in Chriſtiana doctrina docenda, auxilium præbuiſſe.

Porrò promouendi, cum ordinari voluerint, caueant ne commendatitias, quas vocant literas, aut fauoris nobis deferre præſumant, neuè etiam oretenus cuiuſpiam commendationem aucupentur; id certò ſcientes, ſe præter excommunicationem, quam ſubibunt, à nobis eo ipſo illo ordine, indignos ſe eſſe cenſendos.

Qui item pridiè ordinationis generalis iurabunt in manibus noſtris, ſe nihil muneris cuipiam huiuſce rei gratia detuliſſe; ſecus qui fecerint præter periurium, excommunicationem ipſo facto incurrent, & per annum ad ordines inhabiles ſint.

Clerici, qui ad titulum patrimonij ordinati fuerunt, etiam ſi poſteà beneficium, ſiuè curatum, ſiuè ſimplex adepti fuerint, patrimonium illud, alienare, vendere, pignorare, aut donare, nullo modo valeant, abſque noſtra in ſcriptis licentia, quæ gratis dabitur.

Dimiſſoriæ literæ ad ordines à noſtro Vicario nullatenus, neque nobis abſentibus, concedantur, quæ neque poſthac nemini à nobis, ſine præuio diligenti examine dabuntur, ità prorſus, ac ſi à nobis eſſent ordinandi; Neque item dimiſſoriæ literæ abſentiæ cauſa Sacerdotibus à nobis in viſitatione ſuſpenſis, nulla ratione concedantur, neque alijs, qui ſemel à nobis examinati, & approbati non fuerint.

Nullus item posthac clericalem habitum sinè nostra in scriptis facultate induere præsumat secus facientes, carcere per mensem puniendtur.

Proximo Dominico die antè generalem ordinationem mensis Decembris singuli Parochi in suis Parochijs supplicationem habeant, vt Dei ope, atq; auxilio, optimos Ecclesiæ Dei ministros eligere valeamus, quod, & nos ipsi in Metropolitana nostra Ecclesia, vt aliàs præstitimus iteratis vicibus prosequemur.

De Matrimonij Sacramento. Decretum XIII.

IN administrando Matrimonij Sacramento, obseruent Parochi ad vnguem ea, quæ à Sacrosancto Concilio Tridentino statuta sunt, atq; adeò, quod maximum est, districtè præcipientes, mandamus, vt eiusdem Concilij decretum contra clandestina matrimonia materna, ac vulgari lingua, prout in fine huius Synodi habetur in singulis Parochialibus Ecclesijs Parochi populo assignatis ibidem diebus publicent. Qui item diligenter obseruabunt constitutionem aliàs à nobis emanatam, nè sponsos, sponsasvè matrimonio iungere audeant, nisi prius sibi recitauerint rudimenta fidei, orationem S. Dominicam, symbolum Apostolorum, decem præcepta Decalogi, ac item septem Sacramenta.

Nemo antè contractum matrimonium, atq; adeò antè præstitum idem Sacramentum domus sponsæ adire audeat, vel cum ea conuersari sub pœna nostro arbitrio reseruata. Proindè moneant sæpius Parochi, ne antè sacerdotalem benedictionem cohabitare audeant.

Qui item Constitutionem F.R. Gregorij Papæ XIIII. de non petendis dispensationibus in secundo gradu, destinatis infra diebus, populo publicabunt.

Matrimoniorum denunciationes inter Missæ conuentualis solennia diebus festis, è sugestu publicentur, vt commodè ab omnibus audiri possint: eædemq; scriptæ valuis Ecclesiæ affigantur omnibus tribus diebus festiuis, ipsas verò fieri à Parocho postulent, ipsimet contrahentes.

Et vt omnis fraudibus, quæ aliquandò acciderunt, locus tollatur, Parochus non anteà monitiones faciat, aut matrimonium celebret, quam sponsum, & sponsam sibi vere notos esse certò sciat. Eos autem, qui sibi noti non sunt matrimonio, nè iungat, nisi prius diligenter inquirat, an ex illa Ciuitate, aut oppidò sint, an aliunde, neq; informationis munus, itemq; matrimonij celebrationem Parochus Cappellano suo demandare nullatenus possit, antequam ipsi planè constet de contrahentium nomine, cognomine, & patria.

Cum ab vltima denunciatione absq; legitima causa matrimonium vltrà mensem non celebrari acciderit, Parochus sponsos ne iungat, antequam matrimonij denunciationes, iterum faciat.

Si quandò impedimentum aliquod, siuè verum, siuè falsum, & si nullius sit momenti, Parocho deferetur, is matrimonium celebrare ne audeat, nisi prius de impedimento illo nos, vel nostrum Generalem Vicarium certiorem faciat.

Parochus alienæ diœcesis sponsum, sponsamvè matrimonio nullatenus iungat, etiam si fidem à suo afferet ordinario nullum adesse impedimentum, nisi prius ea fides à nobis, aut à nostro Vicario comprobata sit; neque item alterius oppidi virum, aut mulierem licet nostræ sint diœcesis, matrimonio iungere audeat sine nostra in scriptis licentia.

De Sacris oleis. Decretum XIIII.

AD Sanctum Chrisma, aliaq; sacra olea recenter consecrata, deferenda mittant Parochi sacerdotes, vel saltem in sacris constitutos: qui ea, qua decet reuerentia, sigillo nostri pro tempore existentis Thesaurarij munita deferant in bursa, nè in via eueisionis periculum subeant: in Parochia autem debita reuerentia recipiantur obuiantibus clericis, & ipso Parocho cum luminaribus.

Sordidum illum abusum tollere cupientes, quo Rectores ad Metropolitanam Ecclesiã accedentes, vel mittentes accipiendi causa olea consecrata, oua quædam Sacristæ deferre consueuerunt, districtè præcipimus, ne in posterum ad sancta olea noua accipienda venientes, quicquam muneris cuilibet personæ deferant, sub pœna ducatorum sex, tam à recipientibus, quam à dantibus persoluenda.

Vasa sacri Chrismatis, & aliorum oleorum argentea, vel stannea oblonga infixa stipiti, alterius orbicularis vasis, bombice obductæ mundè custodiantur, decenti operta velo; neque verò oleum infirmorum in tabernaculo Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti asseruetur, in quo nihil præter illud reponi debet. Adsint autem notulæ literarum, quibus vnum ab altero dignoscatur.

Porrò vetus Chrisma, nouo iam à Metropolitana Ecclesia ad Parochiam asportato, coràm testibus in Sacrario comburatur.

Nihil ex ipsis oleis, cuiquam non sacramentaliter detur, qui secus fecerit, siuè in sacris, siuè beneficiatus, siuè in minoribus clericus, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, à qua non, nisi à nobis absolui possit, grauiter etiam plectendus re ad forum exterius, delata.

Ad infirmos oleum deferatur in bursa, cordula sericea è collo Sacerdotis pendente ne euertatur.

Parochi omnes Rectoresq; animarum curam habentes, ab ipso die feriæ v. in Cœna Domini, vsq; ad diem sabbati in Albis inclusiuè sancta olea omninò accipiant. Qui verò ipsa Dominica in Albis sancta olea non accepisse reperietur, pro negligentia mulctabitur nostro arbitratu.


Archipresbyteri omnes præter solita vasa, quæ diximus, quibus quotidie vtuntur, tres præterea ampullas implendas deferant, è quibus cum opus erit, Ecclesijs suæ baiulationis deficientibus oleis distribuere possint.

Curet autem sacrista, ad quem sanctorum distributio oleorum spectat, vt pro loci magnitudine sufficientem Parochis portionem elargiatur. Teneaturque nomina eorum, qui ad ipsa accipienda venerunt, conscribere: eaque sic descripta sabbato in Albis vesperi nobis deferre, vt qui negligentes extitisse comperientur pœna af fi ciantur.

†

De Excommunica-

De Excommunicationis Sententia.
Decretum XV.



EXCOMMVNICATIONIS sententia, qua nullum maius malum Christiano homini inferri potest, ac monitiones posthac in nostro Tribunali nemini concedantur ad finem reuelationis, aut damni restitutionis, in causis ciuilibus, aut criminalibus, nisi damnum resarciendum ad summam ducatorum decem ascenderit.

Quo circa nostro Vicario iubemus, vt magna circumspectione attendat in huiusmodi sententijs concedendis, & sobriè quantum fieri poterit ecclesiastico excommunicationis gladio vtatur.

Qui excommunicationis vinculo irretiti reperiuntur, in eoq; post mensem insordescunt, omnibus Dominicis diebus a Parochis, & in Ciuitate a Cappellano, & Regularibus inter Missarum solemnia publicentur, vt sic saltem confusi, vitæ emendationem procurent, & se demum a vinculo excommunicationis studeant eximere.

Quoties aliquos excommunicare contingerit, toties Vicarius noster excommunicatorum nomina superioribus regularium transmitti curet, vt eos euitare possint, & Confessarij absolutionis beneficium non impendant, Quod idem in Diœcesi præstabunt Archipresbyteri.

Cappellanus nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, & Testes Synodales Diœcesis curēt quo die aliquis excommunicationis vinculo alligatur; in libro ad id conficiendo adnotare, vbi etiam diem, quo absolutus est inscribent, vt obseruare possint, an per annum in censuris insordescat. Quòd si id euenerit, transacto anno statim teneantur sub pœnis nostro arbitrio reseruatis, eorū nomina ad nos transmittere, vt contra eos iuxtà sacrorū canonū, & Pontificū sanctiones ꝓcedere valeamus.

Sicubi excommunicati reperiuntur, curent sacristæ omnes, ac ipsimet Parochi, vt ab Ecclesijs arceantur, nè diuinis intersint officijs, atq; ideò omni diligentia, antequam diuina officia inchoentur Ecclesiæ ambitum perlustrent.

Parochi moneant sæpius populum sibi subiectum, vt qui se alieno ęri furto subtracto, aut alio nomine iniustè detento, restituendo cognoscit obnoxium, cum monitiones fulminantur, nè excommunicationis vinculo alligetur ęternęque damnationis pœnam subeat, si tenetur

sit tenetur, vereturq; ne se prodat; aut probabile vitæ periculum, honoris, aut bonorum iacturam, siuè graue damnum incurrat, ad aures nostras, non tanquam iudicis, sed potius patris, cuius personam in eo casu gerimus, vel per se, vel per alium virum spiritualem, aut confessarium deferat, se tali restitutioni deuinctum, vt damno eorum, qui amiserunt, & suæ saluti, secretò consulere valeamus.

Pœnam excommunicationis non, nisi nobis absentibus, Vicarius noster imponat, atq; comminetur.

Excommunicationum literæ pro re criminosa, & quæ infamiæ notham inurit, nullatenus concedantur, nec pro re omninò occulta, neq; pro re illa, quæ amissa, aut à tam longo tempore sublata, vt illius memoria de facili haberi non possit; nec contra certum debitorem, quem pro rebus, quæ in monitorijs literis exprimuntur satisfacere non posse, constat, neque etiam vbi negligi, aut contemni posse, verisimiliter dubitatur.

Si quandò autem, excommunicationis pœna ob graues causas, vel rebus deperditis magni valoris, vbi veritas haberi non potest, seruatisque quæ de iure, & Pontificum, præsertim Pij V. sanctionibus requiruntur, in Ecclesia tantùm, non autem in priuatis locis, neq; Paschalibus, aut solennioribus certis diebus, sed alijs temporibus publicentur, nisi ex causa, & de expressa nostra licentia.

De Curandis Fidelium Cadaueribus. Decretum XVI.

ALTARE Priuilegiatum pro defunctis indecenti loco nunc positum; Apostolica authoritate iam obtenta, in ampliori Ecclesiæ parte construatur marmore apposito pro Archiepiscoporum sepultura; cui hæc tantùm verba insculpantur.

SEPVLCHRVM ARCHIEPISCOPORVM.

Clerici, quibus funerum cura imminet, tam in Ciuitate, quam in diœcesi curent, ne fœminæ vllo pacto mortuorum cadauera, cum ad sepulchra deferuntur insequi audeant, quod si omninò sequi velint,

vel sistant in via, vel è domo cadauera nullatenus leuent: Atq; adeò nè mulieres humandis defunctorum hominum corporibus se immiscere audeant, præcipimus sub excommunicationis pœna, tam Rectoribus permictentibus, quam ipsis mulieribus, nè id in posterum audeant, prout in Constitutione ea de re nostro iussu emanata latius continetur. Possint tamen mulieres, mulieres sepelire, dummodò earum propinquæ non sint, nec incensum ibi cremandum ponant, neque simile quid præstent Ecclesiastici officij, neque plorent; idq; præsente aliquo clerico à Parocho deputato, qui obseruet nè interdum superstitio aliqua intercedat.

Tollatur omninò nostrę Ciuitatis abusus, quo defunctorum cadauera, pretiosis induta vestibus sepeliri consueuerunt; ac proindè meminerint fideles, se tunc terram terræ reddere; ideoq; consultiùs se facturos, si vestes illas, alioquin vermium escas, pio alicui vsui, pro defunctorum animabus potius erogent.

Cum pauperum mortuorum corpora refrigescente aliquorum caritate, diu insepulta, interdum permanere compertum sit; ità vt multoties ad nos ea de re plurimorum querelę delatæ sint; Volentes opportunè huic malo mederi exhortamur clericos nostrę Ciuitatis, vt nomina dent societati mortis, ad hoc pręcipuè pietatis opus, vt campanę signo moniti, ad Ecclesiam conueniant, ad pauperes mortuos gratis sepeliendos, memores angelicę illius sententię, scilicet; Quando orabas cum lachrimis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandiũ tuum; & mortuos abscondebas per diem in domo tua, ego obtuli orationem tuam Domino.

In diœcesi verò pauperes, qui sua impensa humari non possunt, iuxtà Prouinciale decretum à proprio parocho gratis, & suis sumptibus, quoad funeris necessaria, sepeliantur. Cęteri autem baiulationis simplices clerici, nisi legitimo impedimento detenti, ad id officium gratis prętandum, accedere teneantur, quod vt debitè exequatur, adnotet Parochus negligentes clericos, & Archipresbyteri, inobedientes Parochos, vt postquam tribus vicibus defuerint, pœnam nostro arbitratu subeant.

Cumq; inhumanissimum sit, hominum cadauera, ob non solutum debitum Ecclesiastica sepultura carere, statuimus nè in posterum fidelium cadaueribus, neque propter decimas, quartas, aut iura sepulturę non soluta, neq; tandem ob vllam aliam causam, sepultura denegetur. Verùm, vt laici laudabilem consuetudinem (vt decet) obseruent, dent

Parocho

Parocho pignora, vel sufficientem præstent cautionem, se, quod iustum fuerit, soluturos; vt absque lite, & scandalo debitam sibi mercedem percipere valeat; Qui Parochus, aut clericus cuiuscunque gradus, aut conditionis existat secus fecerit, excommunicatione ferietur.

Porrò vt legatis pijs hæredes satisfaciant, Parochi cadauera prius è domo ne leuent, quàm sibi exhibuerint particulam testamenti, vbi dicta pia legata relinquuntur: Neque prius è domo exeant, nisi solitum, & consuetum candelarum numerum defuncti propinqui Parocho ipso, distribuendum assignent; quòd si Parochus præter solitum, aliquid plus exegerit, præstent id defunctorum propinqui; candelæ verò laicis tunc temporis nullo pacto dentur.

Campanæ pro mortuis de nocte, post primam horam noctis non pulsentur, de die autem non, nisi per quartam partem horę circiter dum scilicet defunctus effertur.

Singulis annis Anniuersarium pro defuncto vltimo Archiepiscopo a Capitulo, & a Parochis in Diœcesi omnimodè celebretur.

Secunda autem die post generalem Commemorationem Defunctorum, scilicet die tertio Nouembris, cuiuslibet anni, fiet etiam Anniuersarium pro omnibus defunctis Archiepiscopis, cui, & nos intererimus; idem officium a nostris successoribus, postquam diem clauserimus extremum, cum Diuinę placuerit prouidentię expectantes; ad quod idem officium, in suis Ecclesijs pręstandum, Parochos omnes vehementer in Domino hortamur.

Quarta verò die Nouembris pro omnibus defunctis Canonicis idē officium Capitulum pręstabit; sicut, & Parochi pro suis pręcessoribus.

Anniuersarię exequię si quę celebrandę inciderint, vel a Dominica Palmarum, vsque ad octauam Paschatis, vel a vigilia Pentecostes, vsque ad eius octauam, quę in duplicibus quidem incident anticipentur, vel postponantur illi diei, quę in cęteris his octauis, prima, vel alia die non impedita post octauas, habeantur.

Quarta, quam vocant, funeralium, neque a Capitulo nostræ Metropolitanę Ecclesię, neque ab alijs quibuscunque id iuris competit, alijs locetur, vt priùs consueuerat, cùm huiusmodi locationes Sacrosancti Tridentini Concilij decreto aduersentur; Igitur posthac ijdem, ad quos spectat, per se ipsos eam exigent; Qui secus facere pręsumpserint, per annum, fructuũ illius perceptione eo ipso priuati sint, ijq; reparationi nostrę Ecclesię, ac pauperum subuentioni erogentur.

De Processio-

De Processionibus, & Indulgentijs; Decretum XVII.

ET si clericos vbiq; modestos esse decet, illos tamen cum in publicum veniunt, & per Ciuitatem, vel Ecclesiam, in conspectu populi incedunt, modestiam præseferre, summè necessarium est; nè quid in gestu, in actione, in sermone incompositum ostendant, vndè fidelium animos, qui in eorum vitam intuentur, offendant. Cùm igitur in publicis supplicationibus, seu processionibus per Ciuitatem, aut per Ecclesiam eos ire contigerit, silentium seruent, risum fugiant, oculos huc, illuc nè flectant, ad fenestras stantes ne aspiciant; talares vestes omnes deferant, superpelliceis se induant, bini ordinatim incedant, deuotè omnes, & religiosè psallant, laudesque Deo recitent, ordinem seruent, atque vt ordine recto procedant Magistri cæremoniarum, qui à nobis deputantur, per medios ordines discurrant, omnes locis aptis, & accommodatis distribuant, & ire iubeant; neminem extrà ordinem exire permittant, ità vt in procedendo nulla aut confusio, aut ineptitudo appareat.

In processionibus quibuscunq;, etiam funeralibus, vbique is, qui crucem feret, omninò clericus sit, si fieri potest, saltem prima tonsura initiatus, qui talari veste, & superpelliceo induatur.

Ad solemnes supplicationes omnes clerici cuiuscunque ordinis cõueniant ab initio, cum processio ab Ecclesia egreditur: Qui secus fecerit, vltrà pœnam puncti consueti, alijs etiam pœnis, nostro arbitrio punietur.

Clerici in quacunque procesione etiam funerali, pileis non vtãtur.

In solemnibus verò, quæ singulis annis fiunt in festiuitate Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi, nemini liceat ad fenestras stare, dum Sacramentum antè eorum ædes incedit, & indè Sacramentum præteriens, aut turbas prosequentes aspicere; sed præcipimus, vt omnes descendant, &, vel antè ianuas Sacramentum reuerenter adorent. vel cum cæteris alijs prosequantur.


Fœminis sub excommunicationis pœna præcipimus, nè procesionem disciplina se verberantium, quæ tempore maioris hebdomadæ,

noctu fieri consueuit, prosequantur.

In Ecclesijs in quibus Indulgentię sunt concessę nullo pacto liceat mensam cum capsula altaris instar, antè, vel super altare, pro eleęmosinis recipiendis cum indulgentiarum literis, aut inscriptionibus ponere, sed ea in loco longè ab altari, in quo indulgentiarum statio constituta sit, vel à latere simpliciter collocetur; statutisque tantum diebus, quibus indulgentiam decreuerimus promulgandam.



Finis Secundæ Partis.



DECRETORVM PARS TERTIA.

DE BONIS, ET PERSONIS ECCLESIASTICIS.



De Bonis Ecclesiæ. *Decretum Primum.*

VT Sanctæ Ecclesiæ nobis commissæ iura non spiritualia tantùm, sed etiàm temporalia, pro Pastoralis nostri officij munere, sicuti solenni iureiurando promisimus, illesa custodire valeamus; Primum omnium monemus omnes, & quoscunque cuiuslibet sessus, status, gradus, & cōditionis sint, qui bona stabilia, vel mobilia, contractus, instrumenta, scripturas, iura census, aut quamcunq; rem aliquam ad nostram mensam, vel Metropolitanam, aut aliàs Ecclesias, Monasteria, & loca pia, quæcunq; nostræ diœcesis pertinent, iniustè detinent, quatenus infrà quindecim dies à publicatione præsentis decreti; quorū primos quinque pro prima, alios pro secunda, demum postremos pro tertia canonica monitione assignamus, debitam faciant restitutionem; ijs verò elapsis, eo ipso, excommunicationis vinculo irretiti censeantur, prout etiam præsenti decreto excommunicati declarantur, & nihilominus, vt à nephario hoc sacrilegio, pœnæ grauitate homines deterreantur; & qui sibi huius criminis conscij, quo maioribus pœnæ vinculis se astrictos vident, maiori cura, ac studio salutaris pœnitentiæ remedia quærant, vniuersis, & singulis nostræ Ciuitatis, & diœcesis Parochis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes mandamus, quatenus bis in

Sess.22. cap.11.

anno inter Missæ solennia, cum populus adest frequentior, grauissimum illud Tridentinum Decretum sess. xxij. cap. x. eo de genere latum in sua quisque Parochia materna lingua recitet, iuxtá tenorem vltimo loco huius synodi appositum.

Infrà mensem à die publicationis huius synodi omnes, & singuli beneficiati, siue simplicium, siue Parochialium, necnon, & Cappellani quorumcunque oratoriorum, & cappellarum inuentarium bonorum stabilium (quod plateam vocant) dictorum beneficiorum, oratoriorum, seu cappellarum ad nos transmittere teneantur, vt in nostro Archiuio seruari possit, ibique adnotentur annui introitus fructuum. & decimarum; bona item iura, census, actiones; redditus, ac denique omnia ad ipsa beneficia, siue oratoria spectantia assignatis confinibus, ipsorumque bonorum quantitate, & qualitate. Trásmittent insuper inuentarium rerum Ecclesiæ alienatarum, quas sciũt; Item & litium, si quæ sunt, quæ vel adhuc pendeant, vel nondum in iudicio introductæ fuerint; Item & nominum eorum, qui ex supradictis bonis aliqua iniustè detinent, & tandem bonorum omnium mobilium.

Ecclesiarum Rectores arbores non ceduas, ne cedant sine nostra in scriptis licentia, quæ gratis concedetur. ijdemque iocalia bona Ecclesiæ in alium vsum conuertere nequeant, siue illa pretiosa sint, siue minoris momenti.

Bonorum Ecclesiæ locatio neque etiam in breuissimũ tempus fiat, nisi notarij instrumentum locationis confecerint, aliàs nulla sit locatio. Quæ item hactenus factæ sunt ad longum tempus contra Tridentinum Decretum, & Pauli Papæ I I. extrauagantem, præsente decreto nullæ, & irritæ censeantur.

Neque vero posthac liceat vlli Rectori, beneficiato, aut cappellano, sine nostra in scriptis licentiá; quæ tamen gratis concedetur suorum beneficiorum fructus eorum alteri locare. Quæ quidem locationes publicis subastationibus fiant, ad quas omnes admittantur, exceptis propinquis intrà primum, & secundum gradum eorum qui locationibus præsunt, & ijs, qui prædictis locis aliquam pecuniæ summã debere noscuntur. Itẽ, & ijs, qui idonei satis dare pro locationis mercede recusauerint. Neque item huiusmodi locationes propinquis intra dictos gradus fiant ab iis, qui seminario præsunt, & aliorum locorum curam gerunt.

Si bona Ecclesiæ a conductoribus damnum aliquod passa fuerint

clerici beneficiati, ea ipsis conductoribus propria authoritate remittere non possint, sed nobis significare teneantur, vt eorum sumptibus, quorum culpa deteriorare accedit damnum restauretur.

De persoluendis Decimis.
Decretum II.



VO Christi fideles suis Parochis, quas diuino iure soluere tenentur decimas libentiori animo persoluant, Parochi Dominica in Albis: Item quinta Dominica Aduentus, & prima Dominica Septembris, Decretū Tridentinum de solutione Decimarum vulgari sermone in fine præsentis synodi appositum, populo publicare meminerint. Concil. Trident. sess. 25. cap. 4.

Verum quando frequenti vsu compertum est in persoluendis decimis a nostræ diœcesis hominibus sæpiùs inter eos, & Parochos, plerasque controuersias exoriri; vnde innumeræ ferè lites, & quòd peius est, plerunque ab ijs, qui eas persoluere differunt, aut negant ob instantiam solutionis calumniæ Ecclesiasticis hominibus imponi solent; Vnde odia inter Parochia, nos, & Parochos, non sine graui vtrorumque in temporalibus, & spiritualibus detrimento: nonnullis vero in locis ità irrepsit abusus, vt onus tantùm pauperum esse digno scatur, cum ij soluere teneantur, qui boues conductos habent, cum è contra locantes plerumque diuites, licet multa possideant bona, ex eo tamen quòd nec bobus vtuntur, nec seminant, a solutione immunes sunt. Cùm tamen boues ad societatem pauperibus dent, qui pro alienis bobus decimas soluere coguntur, quas veri eorum domini palleata fraude non soluunt; Alibi verò incerta sit decimarum solutio: Alicubi ita tenuis, vt curatorum victui non sufficiat, & tandem plerisque in locis ità retardata solutione exiguntur, vt nisi ingenti cum labore, ac dispendio haberi non possint. Idcircò vt super his debite prouideri possit, præsenti Decreto eligimus infrascriptos probatæ authoritatis viros, qui diligenter perspiciant, quid vnaquaque in terra, vel oppido ex superiùs enumeratis, in decimarum solutione absurdi habeatur, nobisque referant, vt super ijs opportuno remedio consulere possimus.

Fuerunt

Fuerunt electi pro examinanda Decimarum solutione. Hi videlicet.

Ad R. D. Hieronymus de Alimena V. I. D. Abbas S. Sixti.
D. Beniamin Nicoletta sacræ Theologiæ Doctor.
Archipresbyter Cęlici.
Archipresbyter Filleni.
Archipresbyter Monticini.

De Legatis pijs. Decretum III.

Seß. 25. cap. 4.



T Clerici omnes testantium, voluntati plenè satisfaciant, & debitum persoluant onus celebrationis Missarum in ijs Oratorijs, seu Cappellis, in quibus celebrare tenentur, aut celebrare facere iuxtà legem fundationis, statuimus, vt deinceps, qui clericus per sex dies continuos, quibus celebrare debebat, aut celebrari facere iuxtà dictam fundationis legem: quorum primos pro primo, secundos pro secundo, & deniq; tertios pro tertio, & peremptorio termino assignamus, id omiserit, nisi legitimo existente impedimento, de quo nobis constare debeat, ipsis elapsis nulla alia expectata sententia, à perceptione fructuum illius Oratorij etiam in conscientia, tandiù suspensus, esse censeatur, quandiù nobis videbitur. Qui verò per mensem ommiserit, ipso facto nulla alia similiter expectata sententia, oratorio ipso, siuè cappellania, eiusque fructibus sit priuatus. Rectores Ecclesiarum, & piorum locorum administratores infrà quindecim dies, ac aliquod pium legatum, quòd duorũ aureorum summam excedat ipsis Ecclesijs, seù locis pijs factum fuerit, nobis denuncient, quo testantium piæ voluntati satisfieri procuremus.

Singulis verò annis Kalendis Ianuarij, & Kal. Augusti, Parochi populo significent, Notarijs, vt sub excommunicationis pœna infra quindecim dies ab obitu testatoris, omnes, & quascunque dispositiones ad pias causas, tàm inter viuos, quàm causa mortis a quibuscunque personis factas nobis, vel nostro Vicario deferre teneantur.

Confessarij autem huiusmodi notarios, qui legata pia (vt præfetur)

tur) non reuelauerint, nullo pacto absoluant, nisi priùs ea nobis detulisse, scripto sibi testimonio constiterit. Meminerint verò qui pio alicui legato satisfacere tenentur, quanto cum animarum testantium præiudicio, suoq; proprio peccato ea exequi differunt, ac proinde sub excommunicationis pœna, qui ad id tenentur intrà sex menses omninò persoluant.

Si quis aliquem testari, aut alio quouis modo, siuè inter viuos, siue causa mortis disponere ad pias causas volentem prohibuerit, siuè directè, siue indirectè præter restitutionem, cui erit obnoxius excommunicationis sententia erit feriendus.

Relicta ad pios vsus in alios etiam similes vsus, neque necessitatis prætextu etiam hæredibus consentientibus, conuertantur sine nostra licentia.

De Statu materiali Ecclesiarum.
Decretum IIII.

PRAETER ea, quæ in nostra generali visitatione ad Ecclesias reparandas ordinata sunt, & quæ pro tempore statuenda erunt, in id potissimum intendant Parochi, atque ij, quibus alicuius Ecclesiæ etiam simplicis cura imminet, vt omni decenti cultu, atque ornatu pro loci, ac fructuum commoditate Ecclesiæ custodiantur.

Patroni fouearum, quæ pro mortuis sepeliendis in Ecclesia fiunt, intrà mensem a publicatione præsentis decreti, eas operculis integrè aptè occludant; Qui secus fecerint, elapso deinde mense, ipso facto illius sepulturæ iure priuentur; Remoueantur item sepulchra illa quorum os bradellæ altarium propiùs est tribus cubitis, eoque magis, quæ bradellam altaris attingunt.

Hæc insuper in Ecclesiarum statu seruanda præcipimus.

Fenestræ, vnde in Ecclesiam introspiciatur, obserentur.

Officinæ coniunctæ Ecclesijs, amoueantur.

Cœmeteria, quàmprimum sępiantur, alioqui ne in illis sepeliantur, sed in cœmeterio, quod septum sit.

Crux statim in medio cœmeteriorum collocetur.

Crucifixi

Crucifixi imago in omni Ecclesia ad cappellæ maioris ingressum affigatur.
In frontispicio item cuiusuis Ecclesiæ, imago Patroni illius Ecclesiæ depingatur.
Lampas non è latere, sed in medio altaris sit.
Lampadi lampadarium ex auricalco, aliave materia sit superpositum ne lumen extinguatur.
Noua Ecclesia sine nostra licentia ne extruatur.
Ne in Ecclesia quicquam noui edificij sine consensu nostro literis exarato fiat.
Ne sine concessionis nostræ literis cappella, altarisve locus detur, cappella, aut altare extruatur.
Ne sine eadem faculiate oratoria etiam vbi non celebratur extruentur.
Cappellæ nulli patrono concedantur, qui illis prius non dotauerit, & aliter concessę reuocentur.
Ne in Ecclesia sine nostrę concessionis literis sepulchra extruantur.
Capsulę eleęmosinarię ne sint sine nostra in scriptis licentia, neve vnquam sine ea apponantur.
A cœmeterijs quamprimum euellantur sterpes, & arbores etiam infrugiferę.
Ne valuis Ecclesię scripta, aut schedulę rerum prophanarum apponantur.
Ne laici suppellex, frumentum, legumina fruges, nec verò instrumenta fabrilia in Ecclesia reponantur.
Ab Ecclesijs exportatio, & importatio rerum prophanarum, iter item, transitusve ad rerum item prophanarum vsum tollatur omnino.
Fenestrę in Ecclesijs vitro, aut tela cęrata claudantur.
Vniuersitatum consilia ab Ecclesijs, & cœmeterijs prorsus remoueantur.
Mendici vagantes ab ijs excludantur.
Altaria cruce in medio collocata semper ornata sint, ab vtroque latere decenter positis candelabris duobus vestitu tribus mappis mundis.
Gradus ligneus ab vniuscuiusque altaris a tergo collocatus tabella secretorum superposita, quę peracto missę sacrificio erecta ne stet, sed depressa mappa, aut tela condatur.
Adsit sacrarium desuper tectum, & clausum.

Altaria

Altaria sint altitudine palmorum quatuor à scabello ligneo, latitudine palmorum trium, longitudine palmorum sex ad minus, Altare verò maius palmorum octo.

Scabellum altaris, latitudine palmorum octo.

Vmbella, seu baldacchinum altaris maioris sit ex quauis decenti materia confectum, quòd totum altare, & celebrantem Sacerdotem desuper tegat.

Altaria consecrata, item, & altaria portatilia, tela cooperiantur, quæ facilè amoueri non possit.

Sępiantur altaria vbi fieri potest, ne Sacerdoti celebranti nimium appropinquentur laici.

Dextruantur altaria in cappellis prophanatis, & apertis, in quibus non celebratur.

De Suppellectili Parochiali Ecclesiæ necessaria, Decretum V.

CVm deceat Sanctas Dei Ecclesias sacra suppellectili adeò esse ornatas, vt pro loci, ac reddituum opportunitate in ijs, ne dùm ea, quæ necessaria sunt ad diuini cultus apparatum, verum etiàm, quæ ornatum, atque splendorem respiciunt, non desiderentur: vtq; nobis visitantibus eadem sacra suppellex præsto sit, eius seriem, hic potissimum describendam, censuimus; eius verò exemplar hinc extractum, conspicuo vniuscuiusq; Sacristiæ loco affigi, distriċtè præcipimus.

Igitur Parochialis Ecclesiæ suppellex, hæc erit.

Apparatus Altaris maioris.

CRvx.

Candelabra quatuor ad minus; insignioribus in Ecclesijs sex, cum operculis extinctorijs binis.

Emunctoria duo.

Tabellæ secretorum duæ, altera nobilior pro diebus solemnioribus.

Mappæ minores ad minus decem.
Mappæ maiores quatuor.
Pallia, vbi haberi possunt, quinque colorum, & duo pretiosiora, rubrum, & album.
Tela stragula altaris.
Tappetum bradellæ altaris.
Tabella orationis de sancto cuius nomine altare, seù cappella maiór nuncupatur, & quorum insignes ibi sunt reliquiæ.

Pro Missa sine cantu.

Amictus	Manipulus	Quinque colorum, albi, rubri, nigri, violacei, & viridis.
Alba	Stola	Insignioribus verò in locis.
Cingulum	Planeta	Albæ, & rubræ duplices, præciosiores & quotidianæ.

Communia Sacerdotibus, & Clericis.

PLVVIALE, in ditioribus Ecclesijs ad minus duo, rubrum, & album.
Amictus diaconales, subdiaconales, & Sacerdotales, nouem.
Item, & Albæ.
Cingula.
Dalmaticæ, & Tunicellæ, vt supra.
Manipuli.
Stolæ diaconales.
Vela subdiaconalia ad vsum ferendi calicis, & patenæ substinendæ.

Suppellex propria Missæ tantum.

CALICES ad minus tres.
Patenæ item tres.
Vela calicis quinque colorum.

Corporalia

Corporalia ad minus sex cum pallis.
Sacculi corporalium iuxtà colores quinque.
Purificatoria saltem duodecim.
Mantilia ad abstergendum manus in Missæ sacrificio sex.
Mantilia in sacristia ad vsum lauationis manuum, quinque.
Mappæ altaris in sacristia tres.
Hamularum vitrearum, seu vrceolorum paria duo.
Peluicula vrceolorum.
Missalia tria cum Officijs Sanctorum vltimo loco additorum.
Puluinaria Missalis.
Cereostata quatuor ad minus duo.
Tabella gestatoria pacis offerendæ.
Tintinnabulum gestatorium, vbi appensum non est.

Suppellex Missæ, Diuinorum Officiorum, ac processionum vsui communis.

SVPERPELLICEA sacerdotalia, duo, triave.
Superpellicea clericalia duo item.
Thuribulum, siue argenteum, siue æneum iuxtà loci facultatem.
Acerra.
Cochlear.
Candelabrum cerei Paschalis vnum.
Vexillum, seu labarum sancti Patroni parochiæ.
Crepitatula ligna bina ad vsũ pulsandi in tenebris hebdomadæ sãctæ.
Candelabrum triangulare ad vsum substinendi candelas in eadem hebdomada sancta.
Tapetia, aut stragula ad ornatum sedilis solemniter celebrantium.
Lectorile stratorium Chori.
Lectorile gestatorium vnum,
Integumen lectorilis gestatorij.

Libri, seu volumina Diuinorum Officiorum.

BREVIARIA duo, quorum alterum ampla forma.
Calendarium perpetuum.

L 2 Diurna,

Diurna, aut Psalteria cum Hymnis.
Antiphonarium, & Graduale, ac Missale cum cantu, tàm de Dominicis, & tempore, quàm de Sanctis.
Martyrologium.
Liber de officio mortuorum.
Processionale vnum.
Rituale Romanum pro administratione Sacramentorum.

Suppellex ad cultum, seù administrationem Sacræ Eucharistiæ, aliorumq; Sacramentorum.

CONOPÆA Tabernaculi maioris, vbi fieri potest, duo, alterum pretiosius.
Tabernaculum paruum ad Sacræ Eucharistiæ in altari exponendæ vsu, & in processionibus ferendæ.
Pixides duæ, altera maior ad vsum ministrandæ Eucharistiæ populo in Ecclesia, & infirmis; altera minor conseruandæ Sanctissimæ Eucharistiæ vsui.
Vela duo ad vsum Sacræ Eucharistiæ, quæ in tabernaculo maiori asseruatur decenter contegendæ.
Vela duo maiora cum defertur ad infirmos.
Vmbella cum Sacra Eucharistia ad ægrotos fertur; & vbi pro facultatibus potest, altera pretiosior pro solemnioribus processionibus.
Lanternæ grandiores quatuor, ad minus duæ.
Ceroferaria breuiora iuxtà loci facultatem.
Tintinnabulum gestatorium, vnum.
Mappæ longiores ad apparatum communionis in Ecclesia ministrandæ, quatuor.
Mappæ breuiores subter Sanctissimam Eucharistiam substinendæ, dum ministratur, tres.
Vasa ad vsum purificationis populi, quatuor, ad minus duo.
Scamna oblonga tria.
Imago CHRISTI crucifixi gestatoria ad vsum ægrotorum, vna.
Vasa duo sacrorum oleorum Chrismatis, & Cathecumenorum, eaq; duplicia cum sacculis, & cotylis, alterum ad asseruandum ab Archipresbyteris, vt subministrent reliquis Curatis; alterum ad vsum.
Item vasa sacri olei infirmorum, duo, vt supra.

Pannus

Pannus lineus pro baptizatorum capite abstergendo.
Vas vnum, vsui suscipiendæ, & ferendæ aquæ baptismalis.

Suppellex officiorum funeralium.

FERETRVM vnum.
Pallium feretrale, vnum.
Cœnotaphium gestatorium, quæ tumba dicitur, vnum.
Candelabra ferrea, ad minus duo.

Suppellex Sacristiæ.

VAS gestatorium aquæ benedictæ, cum aspergillo ex setulis non ex spongia.
Labellum cum manutergio appenso pro abluendis, abstergendisq; manibus ministrorum.
Vasculum pro asseruandis hostijs magnis.
Item alterum pro hostijs paruis.
Vas vnum vsui abstergendi calices, patenas, & lauandi purificatoria, & corporalia.
Capsula pro reponendis corporalis, & purificatorijs.
Armarium pro asseruandis sacris vestibus; Item pro argenteis vasis, & reliquijs, armarium separatum.
Ferrum ad conficiendas hostias.
Ferrum ad aptandas hostias magnas rotunda forma.
Ferrum item simile pro hostijs paruis.
Mappę ad vsum altaris, seu armarij, vbi reponuntur calices, & sacerdos induitur sacris vestibus.
Oratorium cum imagine Sanctissimi Crucifixi, & alijs.
Item, & orationes ad paramenta suscipienda, & præparatoriæ ad Missam, & pro gratiarum actione.
Tabella de modo custodiendi, & administrandi Sanctissimum Eucharistię Sacramentum; Item de modo custodiendi fontes, & sacra olea.
Tabella de sacris reliquijs, quæ in ea sunt Ecclesia.
Tabella de Indulgentijs.
Tabella distributionis horarum pro Missis, vbi plures dicuntur.
Tabella Missarum, & Anniuersariorum, quæ omnes clerici simul persoluere tenentur.
Tabella Missarum, quas persoluere tenentur singulis diebus sacerdotes in suis cappellis, addito nomine eorum, pro quorum animabus celebrant, & nominibus cappellarum.

Tabella officij iuxtà ordinarium pro quolibet die.
Tabella clericorum, qui aſcripti ſunt eidem Eccleſiæ.
Tabella Confeſſorum.
Tabella feſtorum dierum, vel ex præcepto, vel ex conſuetudine.
Item vigiliarum, & ieiuniorum.
Tabella cum annotatione certorum anni dierum, quibus euulgari debent decreta Concilij Tridentini, Bullæ Apoſtolicæ, & Archiepiſcopalia edicta.
Tabellæ excommunicationum duæ, vna latino, altera vulgari ſermone explicata.
Bulla Cœnæ Domini.
Liber præterea vnus, iſque anniuerſarius de ſacerdotibus celebrantibus, in quo ſcilicet libro, ſua manu notent, ſubſcribantq́; ſacerdotes, qui ſingulis diebus in ea Eccleſia Miſſæ ſacrum faciunt.
Liber de punctationibus ſacerdotum, qui non celebrarint.
Liber anniuerſariorum, quæ quotannis celebrata ſunt.
Liber vnus de baptizatis,
Liber de confirmatis.
Liber de matrimonio iunctis.
Liber de ſtatu animarum.
Liber vbi, & quo die quis excommunicatur, & quo die abſoluitur adnotetur.
Tridentini Concilij volumen vnum.
Cathechiſmus vulgari, ſeu latino idiomate.
Concilium prouinciale Conſentinum.
Synodus noſtra Diœceſana.
Liber item decretorum Concilij Tridentini, Conſtitutionum Pontificalium, & edictorum noſtrorum.
Modus explicandi Cathechiſmum impreſſus Neapoli anno 1592.
Vitæ Sanctorum Patrum.

De Examinatoribus. Decretum VI.

VT autem, quę in Sacroſancta Tridentina Synodo pręcepta ſunt, debitę exequutioni demandentur à nobis, eligantur ſingulis annis ſex in Diœceſana Synodo Examinatores, quorum tres iuxtà eiuſdem Concilij decretum deindè, aut ijdem tres, aut alij tres, quos Archiepiſcopus maluerit,

rit, diligenter examinent eos, qui pro tempore ad Parochialium Ecclesiarum concursus accedent.

Huiusmodi autem electio fiat per suffragia secretò lata propositis ab Archiepiscopo pluribus, quorum qui maiorem vototum partem habebunt, electi renuncientur; statimq; in ipsamet Synodo iuramentum prestent se quacunq; humana affectione postposita, fideliter hoc munus exequuturos. Sint autem quantum fieri poterit Magistri, seu Doctores, aut licentiati in Theologia, seu Iure canonico, vel alij Clerici, siue Regulares, etiam ex ordine mendicantium, siue Seculares, qui ad id magis idonei videbuntur.

Ijs verò pridie antè statutam diem concursus faciendi, futurum examen intimetur: Eorum autem sit diligenter studere ijs rebus, super quibus concurrentes interrogare intendunt, vt postmodum ibidem illos edocere valeant, quę ignorabant.

Meminerint deindè ijs potissimum de rebus interrogare, quę ad Curatorum spectant officium siue ad confessiones rite audiendas, siue ad cętera Sacramenta pro dignitate administranda; nullo verò pacto de ijs, quę nihil ad rem pertinent ex quibus, vel eos non studuisse, dignoscatur, vel aliquo animi rancore, odio, aut passione super re difficili, aut prorsus cuiq; peruia interrogare.

Ideò quisq; tantum munus aggressurus animaduertat oportet, ne priuatis rationibus, siue commodis, amore, aut odio aliove affectu impediatur, quo minus rectum ferat iudicium de eorum meritis, qui ad beneficium concurrunt; ac proindè idantè oculos semper habeat, si aliqua passione, vel negligentia iustè non iudicet, se esse restitutioni obnoxium, illius beneficij, quod ille fortasse (vt plerunq; accidit) suo dumtaxat voto, amisit: è contrà verò si indignum approbabit, teneri se ad restitutionem damni, quod Ecclesia illa sub inhabilis, aut indigni ministri regimine patietur; Quibus restitutionibus, quando satisfieri possit, cogitet secum ipsemet, & tanti ponderis negocium graui animi cogitatione perpendat.

Iniungatur pretereà eis sub pręcepto, ac etiam si videbitur, sub Excommunicationis pœna silentium omnium eorum, quę in Congregatione gerentur, Ac ea quidem, quę ad reprobationem, spectant penitus reticeantur; Quę verò ad approbationem pertinent, nisi priùs à nostro Notario, iussu nostro renuncientur, alijs ne publicent; qua de re meminerint Constitutionis Gregorij Papę XI. qua excommunicantur ipso facto denunciantes beneficiorum prouisiones, qui-

que

quę ideò aliquid dederint, & receperint.

Porrò iuxtà Tridentinum decretum examinis occasione nihil prorsus, vel minimi momenti, cuiusuis precij, vel muneris, siuè mercedis genus, etiam à spontè dantibus, neque antè neque post recipere audeāt, alioquin tàm ipsi, qui acceperint, quàm qui dederint tamquàm simoniaci absolui non possint, nisi beneficia dimiserint, etiam illa, quæ antea possidebant, & ad alia in posterum inhabiles reddentur.

Examinis autem faciendæ ratio hęc erit; Primum omnium diuino inuocato pręsidio, & solitis peractis de more precibus capitulum Tridentinum proponatur, vt dignosci possit, quantum in latina lingua, & in Sacri Concilij intelligentia versatus fuerit, qui Curato beneficio pręponi voluerit; Mox ex Euangelio aliquo, siuè ex Cathechismo aliquid ex tempore depromat ad pascendam plebem salutaribus monitis. Singuli deindè Examinatores suam proponent quęstionem ad Sacramentorum administrationem ad Censurarum, Irregularitatum, Vsurarum, contractuum, votorum, & restitutionum materiam spectantes, quę suo ordine describentur, vnà cum singulorum Examinatorum responsionibus, vt demum inter se comparantur; & hac ratione perpendatur, quis in quo alterum excellat, sicq; ęqua lance ponderatis responsionibus, ad electionem procedatur.

Per sex verò dies, antequam examen fiat, deferet nobis Notarius nomina eorum, qui in concursu descripti sunt; quę deindè duobus fide dignis, ac religiosis viris transmittantur, qui diligenter inuestigent, ac fideliter referant de vita, moribus, & pia eligendorum conuersatione.

Sciant demum Examinatores ex Tridentini Concilij monitione se de his omnibus non solùm coràm Deo, sed etiam in Synodo Prouinciali (si opus erit) rationem reddituros; à qua si contrà officium eos fecisse comperientur, grauiter eius arbitrio punientur.

Fuerunt autem in præsenti Synodo ex maiori parte suffragiorum electi infrascripti Examinatores, qui iurauerunt, vt infrà.

Nomina

Nomina Examinatorum sunt hæc.

Admodum RR.

Durastantes Puerius Decanus.

Franciscus Pilosus Archidiaconus.

Antonius Ricciardus Thesaurarius.

Prosper Romanus Canonicus.

Hieronymus d'Alimena V. I. D. Abbas S. Sixti.

Beniamin Nicoletta Sacræ Theologiæ Doctor.

Manilius Vergiglius.

Iacobus Senator.

Magister Frater Franciscus à Coriliano Ordinis Minorum Conuentualium.

Frater Matthæus à Coriliano Capuccinus.

De Beneficiorum collatione.
Decretum VII.



STATIM ac Parochum aliquem è vita migrare contingerit, Archipresbyter loci illius, vbi Parochia sita est, illius obitum nobis denunciare teneatur, vt de Rectore populo illi prouidere quamprimum valeamus. Et interim idoneum Vicarium assignare.

Habita igitur huiusmodi certa notitia, edictum iuxtà Prouincialis Concilij constitutionē proponatur concurrere volētibus. Cùm verò, qui examinandi erunt, venient, caueant, ne commendaticias literas, quas vulgò fauoris appellant, nobis, aut Examinatoribus, vel procurent, vel deferant; Qui secus fecerint, eo ipso, beneficio illo indigni à nobis censebuntur.

Ij autem sic prouisi fidei professione emissa se Sedi Apostolicæ, & pro tempore existenti Archiepiscopo obtemperaturos, iuxtà Sacri Concilij Tridentini decretum, residentiam facturos iuxtà Pij IIII. determinationem; iuramentum præstabunt; Iura Ecclesiarum Parochialium, quibus præsunt, pro viribus suis defensuros, bonaque earundem Ecclesiarum conseruaturos, non alienaturos; quæ

verò iniustè vendita à suis prædecessoribus, vel alienata fuerint, quantum in ipsis est, se recuperaturos.

Electi etiam omnes prouisi, vel præsentati ad officia, vel beneficia Ecclesiastica non admittantur, nisi prius huiusmodi iuramentum emittant. s. ego N. electus &c. per hæc sancta Dei Euangelia iuro, neque me beneficij, vel officij obtinendi causa, quicquam collatori, & Patrono electorive promisisse, nec me sciente à quoq; datum, vel promissum esse, ita me Deus adiuuet &c. Quod iuramentum in nostris manibus præstetur antequam admittantur ad possessionem.

Detestandæ simoniacæ labi occurrere omni via volentes, interdicimus omnibus ius eligendi, ac præsentandi habentibus ad Ecclesias cappellas, vel beneficia quæcunq; ne cùm electis, & à se præsentatis quoquo pacto paciscantur, neve ad hunc effectum promitti quicquam sibi faciant, aut fructuum pensionem aliquam sibi reseruent, fidemve, aut promissionem accipiant sibi mutuandi, locandique domus, prædia, aut alia bona Ecclesiarum, & beneficiorum, ad quæ ipsi præsentauerint, eos verò qui aliquo supradictorum aliove etiam modo simoniacè se eligi, aut præsentari permisserint, beneficijs tali modo acquisitis priuatos esse denunciamus; Patroni autem iure præsentandi priuati sint, & collatio, atq; prouisio Ecclesiarum, cappellarum beneficiorum ad nos deuoluta esse intelligantur, iuxta sacrorum Canonum, & summorum Pontificum dispositiones: Insuper, & ex nunc patronos, qui cappellarum, siue oratoriorum, siue beneficiorum, quorumcunque, tàm in nostra Metropolitana Ecclesia, quàm alibi existentium, fructus sibi propria authoritate vsurpare ausi sunt, & nunc indebite retinent, præmissis iam monitionibus, priuatos esse declaramus omni iure, quod ipsi habebant, & excommunicationis sententia ferimus a quà non absoluentur, donec restituerint.

Caueant autem iurium Patronatuum Patroni ne propter iurispatronatus occasionem, pluris aliquanto res, cui illud ius annexum est, uendatur, aut transferatur, si qui vero nihilominus ita vendiderint pœnas contra simoniacos editas incurrent.

Porrò, vt auaritiæ omnis suspitio, vel minima ab Episcopi domo, atque ab omni etiam ecclesiastico foro tollatur, ne deinceps in beneficijs conferendis, aut quauis prouisione dandis, quicquam vllo cuiusuis generis, ne sigilli quidem nomine accipi, exigive ab vllo liceat omni prorsus si quæ huic decreto repugnet consuetudine abrogata. Notario tamen, cui pro muneris laboribus certa merces nulla consti-

tuta est, aliquid pro opera, quam in literarum subscriptione ponit accipere liceat, taxa a nobis præfixa præscriptum; ita tamen, vt pro omni vniuscuiusq; beneficij collati, vel prouisionis nomine dati, scriptura a se confecta, aliove quouis nomine, seu prætextu plus aureo nummo, ne capiat.

De Iudicibus Synodalibus. Decretum VIII.

BONIFACII VIII. constitutionem, quæ incipit Statutum, ac item sacri Concilij Tridentini Decretum de iudicibus synodalibus exequi cupiens hæc synodus tres iudices eligit dignitate præditos viros quibus causæ Ecclesiasticæ speciales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ, siue in ciuitate, siue extrà iuxtà eiusdem constitutionis tenorem committi possint, quorum nomina statim præsenti hac designatione facta ad Sanctissimum Dominum nostrum transmittantur. Sess. 25. c.x.

Quod si interim aliquem ex designatis mori contingerit, statim cum capituli consilio substituat Archiepiscopus alterum in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanum Synodum.

Nomina autem Electorum sunt.

Admodum Reuer. DD. Decanus.
Admodum RR. D Hieronymus de Alimena V. I. D.
Admodum R. D. Santus Mazzeus. V. I. D.

De Foro Iudiciali. Decretum IX.

QVERELÆ, & libelli famosi incerto alieno, aut publico, & mentito nomine contra clericos porrecti, non admittantur sine exponentis propriæ manus subscriptione.

Quæ vltimo loco a Congregatione Illustrissimorum DD. Cardinaliũ super causis Episcoporũ S. D. N. præcepto iussa sunt omninò exequutioni demãdẽtur, ne deinceps Cãcellaria nostri Tribunalis

locari possit, sed Notarius assignetur Clericus, qui à nobis deputabitur congrua assignata mercede, non tamen ex prædictæ Cancellariæ fructibus, seù emolumentis, ac vt cuilibet pateat in debitarum mercedum solutione neminem grauari, ex eiusdem Congregationis præcepto mandamus, vt deinceps taxa, seù pandecta, quam vocant, vbi officialium mercedes descriptæ, atq; taxatæ sunt, in publico loco, vbi Notarij residere solent, affixa perpetuò permaneat, ità vt omnibus notum sit quantum pro quolibet actu soluere teneantur.

Qui verò propria authoritate ex eadem taxa, seù pandecta aliquid detrahere, abradere, immutare, seù illi aliquid addere præsumpserit, præter excommunicationem, quam ipso facto incurret; Et à qua non, nisi à nobis absoluetur, debitis tanto facinori pœnis præterea mulctabitur. Notarius autem, qui præscriptum eiusdem pandectæ non obseruabit, præter restitutionem ad quam tenebitur, & amissionem officij, ad quod in nostro Tribunali perpetuò inhabilis erit, grauioribus prætereà pœnis punietur.

Iurabit autem Notarius infrà præscripta forma.

Forma Iuramenti Notarij.

Ego N. Notarius à Reuerendissimo D. Archiepiscopo Consentino delectus nihil dedi, vel pollicitus sum gratia huius officij obtinendi, commissum mihi munus diligenter, ac fideliter exercebo à litigatoribus, quorum fuero Notarius, vel à quocunq; alio eorum nomine, quauis de causa nihil, neq; spontè datum accipiam, præter id, quod Archiepiscopi taxatione præfinitum fuerit, Quam quidem taxationem in omnibus obseruabo, neque aliud quicquam præter illam exigam; causarum criminalium, Inuentarium singulis annis perficiam, illarum, quæ illo anno gestæ sunt; Secreta eiusdem officij, & causarum nemini patefaciam, præsertim attestationes testium, & consilia assessorum; attestationesq;, & sententias, donec publicatæ prolatæ, & sententiatæ, & per Reuerendissimum D. Archiepiscopum, seù per eius Vicarium, vel alios per eos deputatos subscriptę fuerint. De causis verò ad religionem spectantibus, neq; post sententiarum publicationem testium nomina publicabo. Constitutionibus Reuerendissimi D. Archiepiscopi obtemperabo, nec vllo vnquam tempore contrà faciam; Et omnia, & singula suprascripta omni dolo,

ni dolo, & fraude omnino remotis inuiolatè pręstabo; Et ita promitto, & iuro, sic me Deus adiuuet, & Hęc Sancta Dei Euangelia.

Item quę superius de Excommunicationis sententia ferienda sancita sunt, omnimodè obseruare pręcipimus.

Vtque Episcopalis noster Forus, verè spiritualis dici queat, arceatur ab eo omnis iniquitas, atq; calumnia: Quamobrem Vicarius noster curabit, quoad fieri poterit, dilationes, & subterfugia recidere, quę à nonnullis parum timoratis ad defatigandos pauperes litigantes excogitantur: Hac etiam de causa non permittet vllum aduocatum, aut procuratorem, lites, causasq; in nostro Tribunali agitare, patrocinarique nisi priùs iuramentum in manibus eius pręstiterint se causam iniustam defendendam non suscepturos, in suoq; munere, nullo genere calumnię vsuros.

Causas autem ad Religionem pertinentes non priùs suscipient, nisi solito pro huiusmodi causis pręstito iuramento, ac fidei professione emissa.

Notarij, etiam si Regia authoritate creati sint, ne contractus, scripturas, aut monumenta quęcunq; conficiant, quę ad Ecclesias, aut Iurisdictionem, & Forum Ecclesiasticum pertineant, nisi priùs à nobis, vel nostro Vicario examinati fuerint, & approbati iuxtà Sacri Concilij Tridentini dispositionem.

Cùm primùm Notarius in Tribunali nostri, officium actuarij aggredietur scripturas, Processus, & monumenta quęcunq; ad ipsam curiam pertinentia ex inuentario accipiet, & diligenter claui occlusa conseruabit, coram nobis officium depositurus, rationem reddet, nec interea ab Archiuio sine nostra, vel nostro Vicarij licentia genus vllum scripturarum, ac processuum amouebit.

Scripturę autem omnes, quę causas ad sanctum officium pertinentes respiciunt, in Archiuio nostro secreto asseruentur; neq; inde ad aliud Archiuum asportari possint, neque aliò deferri, pręterquam apud nostrum Vicarium pro ijs expediendis, aliquando diligenter asseruari.

Festa Tribu-

Festa Tribunalis Archiepiscopalis Consentini.

IANVARIVS.

1 Circumcisio vsque ad crastinum Epiphaniæ exclusiuè.
17 Antonius Abbas.
20 Fabianus, & Sebastianus.
25 Conuersio Sancti Pauli.
30 Dedicatio Ecclesiæ Metropolitanæ.

FEBRVARIVS.

2 Purificatio B. MARIÆ VIRGINIS.
3 Blasius Episcopus, & Martyr.
22 Cathedra S. Petri.
24 Matthias Apostolus.

MARTIVS.

7 Thomas de Aquino.
12 Gregorius Papa.
21 Benedictus Abbas.
25 Annunciatio B. MARIÆ.

APRILIS.

2 Franciscus de Paula.
23 Georgius Martyr.
25 Marcus Euangelista.

MAIVS.

1 Philippus, & Iacobus Apostoli.
3 Inuentio S. Crucis.

6 Ioannes

6 Ioannes ante portam latinam.
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli.
9 Gregorius Nazianzenus Episcopus, & Confess.

IVNIVS.

2 Barnabas.
24 Ioannes Baptista.
29 Petrus, & Paulus.
30 Commemoratio S. Pauli.

IVLIVS.

2 Visitatio B. MARIÆ VIRGINIS.
22 Maria Magdalena.
25 Iacobus Apostolus.

AVGVSTVS.

1 Vincula Petri.
5 Festum Niuis.
9 Hippolitus Martyr.
10 Laurentius.
15 Assumptio VIRGINIS.
16 Rochus Confessor.
20 Bernardus Abbas.
25 Bartholomæus Apostolus.
28 Augustinus Episcopus.
29 Decollatio B. Ioannis.

SEPTEMBER.

8 Natiuitas MARIÆ VIRGINIS.
14 Exaltatio S. Crucis.
19 Ianuarius, & Socij Martyres.
21 Matthæus Apostolus.
29 Michael Archangelus.
30 Hieronymus Presbyter.

die; vt morituris Sacerdos omninò adsistat, qui tamen diligenter aduertat, ne irregularitatem aliqua ratione incurrat.

Neq; verò minus eisdem carceris præfecto curandum erit, quod detentis in carceribus, etiam in temporalibus consulatur; Quare nobis suggerent, vt ijs succurrere possimus, tùm ex aliquibus eleemosynis, tùm præsertim ex redditibus Confraternitatis Sancti Leonardi huius Ciuitatis, pio huic operi destinatis: ac demum inopes, innocentesq; sęcularibus Magistratibus commendentur.

De suscipiendo Patrocinio viduarum, pupillorum orfanorum, aliarumq; miserabilium personarum. Decretum XII.

PVPILLORVM, viduarum, & egentium hominum cura Episcopo communi omnium parenti, Sacrosanctis Canonum legibus potissimum commendata, & commissa negligi nō debet, ne si lædantur, vociferentur ad Dominum, qui exaudiat clamorem eorum; Quamobrem pro nostri muneris officio infrascriptos pios viros Christianæ charitatis operibus deditos, destinamus, qui id generis hominum patrocinium in omni causa suscipiant.

Præsertim verò, qui indigentes huiusmodi personas, maximè autem pauperes puellas nubiles, quarum honor in discrimine est, de quibus extrà Ciuitatem existentibus à Synodalibus Testibus iuxtà ea, quę superiùs constituta sunt, certiores fient, cæterosq; aliena ope indigentes iuuent: salutari consilio, & consolatione, & re subueniant: aut si minus possunt cohortatione alios accendant ad eos subleuandos.

Si quæ illorum grauior inopia deposcit, festis etiam diebus à pia fidelium liberalitate aliquid in Ecclesia colligendum curent, vt à nobis præscribetur, quod ipsis in eleemosynam conferatur. Seorsum etiam diuites incolas Diœcesis, & Ciuitatis conueniant, quibus pauperum ęgestates proponant, & ostendant eis diuitias à Deo proptereà etiam esse tributas, vt inopibus succurrant: Si qui autem potentiorum opibus in causa aliqua oppressi sunt, illos vnicè atq; intimè eorum patrocinio commendent, qui ex suscepto officio id præstare debent, Magistratibus nostro nomine commendent, & denique omni conatu,

N 2 atque

atque opere eis consulere studeant. Illorum verò, & eorum, qui in Ciuitate sunt huius generis personarum, post diligentem inuestigationem Catalogum conficiant, nobisque sæpiùs eorum necessitates suggerent, vt aliqua ratione illis consulere valeamus.

Nomina eorum, qui pio huic operi destinantur sunt pro Ciuitate.

Admodum Reuer. Decanus.
R. D. Antoninus Donatus Canonicus.
R D. Io. Andreas Maurellus Canonicus.
R D. Prosper Romanus Canonicus.
R. D. Ioseph Russus.

Pro Diœcesi.

Ad R Abbas S Sixti.
D Manilius Vergiglius.
R. Archipresbyter Castrionis.

De vita, & honestate Clericorum.
Decretum XIII.

VBERRIMA est docendi, ac pascendi eorum ratio, qui pietatem, quam profitentur, vitæ integritate, & innocentia comprobant, & quæcunq; verbis alios docent, ea factis exprimunt suis, quam cùm clericorum professio requirat, prouidendum eis erit, ne quicquam præseferant quòd non simplex, castumq; sit, vt modestiæ, frugalitatis, benignitatis, ac virtutum omnium cęteris exempla prębeant, vt ergo, quæ in eorum vita, & honestate desideranda sunt, veteri omnium Synodorum exemplo, certis legibus exprimamus, ea duobus potissimum capitulis complectemur; Quorum postremum exteriorem hominem, & cultum, primum verò interiorem, ex quo omnis externa species emanat, tenuiter effinget.

Clericos

Clericos igitur, qui in sortem Domini vocati sunt, quorum Deus pars est, & hæreditas in timore Dominis omnis sapientię initio firmare oportet; Quòd si absit, quod superest sal est infatuatum, & ab hominibus conculcandum; Porrò timorem Dei, non nisi ex Sacramentis fontibus. f. Saluatoris, vel ex frequenti meditatione, ac iugi sacrorum, & piorum librorum lectione haurire contingit; Quarè clericos Sacramenta non frequentantes, sacerdotesq; otiosos vndiq;, veluti canes circumcursantes, timore Domini destitutos esse, & quasi opprobrium factos, omni transeunti ità manifestum est, vt id tegere non sine animi dolore, nulla ratione possimus; Singulis igitur clericis, etiam prima tonsura initiatis Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ singulis mensibus, Diaconis verò, & subdiaconis singulis saltem hebdomadibus frequentandum decernimus; Cuius rei testimonium singulis duobus mensibus ad nos transmittere curent Synodales testes, quod si elapso bimestri clerici, qui in sacris sunt id neglexerint, eo ipso à franchitijs percipiendis, nostro arbitratu suspensi intelligantur.

Sacerdotes verò qui ex hominibus assumpti, pro hominibus constituti sunt, in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerant dona, & sacrificia pro peccatis, frequentissimè id faciant, & præstent, ac ideo quotidiè celebrare conentur legitimo cessante impedimento Qui trium hebdomadorum festis, & Dominicis diebus id omiserint, quoties deinceps festis, tamen diebus id non præstabunt toties fructus illius diei amittant, etiam in conscientia Qui autem nec beneficium neq; oratoria possident, quoties omiserint, pecuniaria pœna mulctentur arbitrio Testis Synodalis considerata personæ, & negligentiæ qualitate.

Quoniam verò otium, ignorantiæ, & cunctorum malorum, fons est; & origo, vt in Clero, atque adeò in sacerdotibus locum, vel minimum non inueniat, vehementer in Domino hortamur singulos sacerdotes, vt quotidiè per semihoram sacræ lectioni vacent; ea autem sit, vel casuum conscientiæ, vel piæ alicuius meditationis, vndè, & libros aliquos pios, & eruditos, vnumquemq; clericum habere necesse est: ij autem sint.

Concilium Tridentinum.
Cathechismus Romanus.
Doctrina Christiana.
Directorium Polanci.
Speculum Confessionis.
Nauarri Epithomæ.
Memoriale Granatę.
Necnon Sacerdotes addant Bullam Cęnæ, vel ex his aliquos iuxtà cuiusque facultatem.

Et vt

Et vt doctiores nullam habeant excusationem, ij in alijs erudiendis occupandi erunt.

Clericos verò minoribus initiatos, omnes studijs vacare decernimus, ac nisi alicui Ecclesiæ addicti, classes adire quotidiè, præceptoris testimonio comprobentur, franchitijs gaudere non expedit.

Quin si otiosum aliquem deprehendi contingat, item vagum aliquem, etiam sacerdotem cum laicis hominibus per vrbem otiosè debacchantem, aut in viarum angulis insedentem, eum in carcere detrudi omninò volumus, ac mandamus.

Ne quis autem prætextu domesticorum, siue sęcularium negociorum proprium otium pallietur, cùm nemo militans Deo, sęcularibus negotijs implicare se debeat, neque deceat Ministros altaris indecenti quadam demissione se gerere, præsenti decreto sęcularia negotia clericis cuiuscunq; gradus, & dignitatis existant, omninò interdicimus, cuiusmodi sunt; Mercimonia cuiuscunq; generis.

Alienos agros lucri causa conducere, præterquam in casibus prodeiure.

Aliorum tutelam præterquam ex pietatis officio, & nostra obtenta licentia, suscipere.

Pro alijs fideiubere, nisi causa nobis prius cognita.

Sęcularium Principum, aut aliarum personarum negocia gerere.

Officium medici, aut tabellionis exercere.

Coram sęculari Iudice, absq, nostra licentia causas agere.

In famulatu, aut comitatu laicorum, etiam Principum esse, eis personaliter inseruiendo, siue asseclæ fœminarum officio fungi, aut eis aliquando famulari.

Alijsve sęcularibus negotijs de iure prohibitis se immiscere.

Vt verò sęcularia negocia omninò prohibemus, ità honestas artes ad otium vitandum, & vitam substentandam concedendas olim S Patres docuerunt, vt scilicet aliqui proprijs lucrentur manibus, sportulas, nempè texere, plantare, fodere, & similia.

Venari autem quam indecorū sit clerico satis iura omnia ostendunt. Igitur clamorosam, quam dicunt venationem. siue cum canibus, & accipitribus, omninò interdicimus, & si quem venaticos canes, aut accipitres alere deprehendatur, canes, & omnia alia venationem adiuuantia, denuncianti concedantur. Ipse verò arbitrarijs pœnis pro delicti qualitate punietur.

Horarum canonicarum officio astricti, meminerint se febri, vel aduersa-

uersa valetudine leuiter aliquando laborantes, non iustam propterea illud omittendi excusationem habere; Itaq; pro sua conscientia rectè quisq; videat quid præstare possit, vtaturq; Confessarij consilio, ne omittendo grauiter peccet, & beneficij, si quod habet fructus suos non faciat. Tandem tempore ieiuniorum, & vbi frequens ad Ecclesias populus conuenerit: Parochos etiam in docenda doctrina Christiana adiuuent.

De Externo Clericorum cultu, & honesta conuersatione. Decretum XIII.

ET si interna externis præferenda & quia essentialia magis omninò adimplenda, tamen quæ exteriorem circundant hominem non negligenda sunt; Qui enim spernit modica paulatim decidit: Cùm igitur maximè conducat ad timorem Domini in clericis conseruandum, & augendum externa modestia: Illud in primis obseruent, oportet, vt suam recolentes dignitatem, & Regale Sacerdotium, coronam decoris in capite gestare, nunquam omittant, singulis quindecim diebus illam innouantes, Erit autem latior, siuè contractior, iuxtà cuiuslibet ordinis gradum; quod si malitiosè neglexerint, & absq; corona aliquando deprehendentur, arbitrario carcere punientur.

Porrò si barbam non nutrirent Sacrorum Canonum legibus, laudabilius se conformarent, labium verò superiùs ob Sacramenti reuerentiam omninò radant.

Coronæ Clericalis habitus decens, atq; honestus respondeat, ità vt longiori pallio, & interiori veste, quam subtanam vocant, omnes vtantur.

Beneficiati verò etiam simplici beneficio cuiuscunq; gradus, & condicionis sint intrà nouem dies à publicatione præsentis Decreti, quorum tres pro primo, tres pro secundo, & tres pro tertio, & vltimo termino peremptorio assignamus clericalem assumant habitum.

Communiter Clericali Bireto, non autem pileo vtantur.

Arma nullius generis deferant, neq; domi retineant.

Se.ico ne vtantur, nisi quibus aliqua ratione à iure permissum est.

Collare, quòd dicunt, gestent simplex, ac modicè latum, quod honestè declinetur, crispum, & rugosum, siuè artificio elaboratum omnes reijciant.

Annulo non vtantur, nisi ij, quibus propter gradum dignitatis est à iure concessum.

Comedijs, alijsvè prophanis spectaculis ne intersint, eoq; minus ipsi comedias, aut alia huiusmodi recitent.

Aleis, prohibitisq; alijs ludis ne ludant, neque alijs ludentibus intersint.

Caueant ne de nocte post primam horam, nisi iustà de causa, & cum lumine è domo exeāt, neq; illa hora transacta, præ foribus suæ vel alienæ domus sistant, iuxtà præscriptum Constitutionis vltimæ, nostro iussæ emanatæ: nos verò pro qualitate delicti debitis pœnis in eos grauiter animaduertemus.

Musicæs prophana instrumenta ne tangant, neq; domi neq; extrà, eoq; minus alios tangere doceant, obscœnas item, prophanasve cantiones ne canant.

Laruati ne incedant.

Vt autem bonus odor CHRISTI sint, & non solum malum caueant, sed etiam omnem mali suspitionem declinent, etiam suspectarum mulierum consuetudinem omninò fugiant, cōmessationes ebrietates, & sæcularia conuiuia, vbi plures tribus modestis viris conueniant, omnimodè vitent ab otiosorum hominum conuersatione, & comitatu penitus abstineant.

Ad caupones, præterquam in itinere nulla ratione diuertant.

Domus suas meretricibus alijsq; infamibus personis ne locent.

Tandem Sacrorum Canonum Decreta exequi cupientes, præcipimus, ne clerici cuiuscunq; ordinis, status, & conditionis existant, cum fœminis quibuscunq, quouis sanguinis, cognationis, aut affinitatis vinculo eis cōiunctis, præterquam cum matre (de sorore enim Canonum dispositio attendatur) habitare audeant, nisi ex vrgenti aliqua necessitate impetrata priùs à nobis facultate, singulis mensibus innouanda, quæ gratis concedetur.

Qui igitur contrà aliquam ex prædictis ordinationibus fecerit præter amissionem vestium & armorum, arbitraria pœna pecuniaria punietur, pijs operibus applicanda, siuè alia corporalis carceris, ac etiam priuationis beneficiorum, & officiorum pensata delicti, & personarum qualitate.

Qui

Qui verò paruum sclopum, aut pugionem, siuè deferre, siuè domi habere deprehendetur, pœnis in Concilio Prouinciali statutis punietur.

De Seminario. Decretum XIIII.

IN Seminario nostro obseruentur deinceps editæ constitutiones, quas aliàs obseruari præcepimus; id tamen addatur, vt Rector, qui Seminario præest singulis quatuor mensibus, nobis, seù Vicario nostro, duobus Canonicis assistentibus, altero nostro, altero capituli nomine exactè reddat administrationis computus.

Quodq; in posterum admittantur conuictores, qui 25. aureos quolibet anno pro victu persoluant, & suis se sumptibus vestiant, qui tamen requisita à prædictis constitutionibus habeant, nec aliter recipiantur.

De Confraternitatibus Laicorum. Decretum XV.

NEMO deinceps siue clericus, siue laicus in Ecclesijs vel Monasterijs nostræ Diœcesis nouam Confraternitatem, absq; facultate in scriptis à nobis obtenta, instituere audeat. Si laicus, aut clericus secularis id facere audebit, excommunicabitur. Regularis verò interdicto supponetur.

Neque item liceat posthac Confratribus quarumcunque sodalitatum nouos eligere officiales, nisi noster adsit Vicarius, neque puellas matrimonio co[illegible] nisi nobis prius, aut nostro Vicario constet, quæ

vel ex donatione, vel ex testamento, vel quomodocunq; confraternitati obuenerit, de eo officiales, qui pro tempore erunt quocunq; nomine nuncupentur, nos certiores faciant, vt inuentario ipsi addi, vel adscribi possit, eiusq; memoria conseruari.

Demum iuxtà decretum Tridentini Concilij mandamus, vt procuratores, magistri, aut alij cuiuscunq; sodalitatis, aut quorumcunq; piorum locorum administratores, quocunq; nomine nuncupati, in visitatione à nobis quotannis facienda, suæ administrationis rationem nobis reddant, ad idq; etiam per censuras Ecclesiasticas compellantur.

Vtq; ex huiusmodi Confraternitatibus, aliquem in spirituali vita fructum populi percipere valeant, assignetur cuilibet sodalitati pius, ac prudens Confessarius, qui eos spiritualibus instituat documentis, præsertim verò assidua Sacramentorum perceptione communiat, curetq;, vt omni studio, atq; conatu obseruent monitiones olim à recolendæ memoriæ Carolo Cardinale Borromeo optimo Pastore suo populo traditæ, quasq; nos nuper imprimi mandauimus.

De Quæstoribus. Decretum XVI.

NEMINI liceat per Ciuitatem, & Diœcesim nostram eleemosynarum quæsturam exercere absque licentia nostra, etiam si super hoc literas Apostolicas impetrauerint; quibus quidem vti minimè poterunt, nisi antè nobis illas exhibuerint, & scripto à nobis, & non à nostro Vicario, licentiam habuerint, vt hac prouisione omnis tollatur occasio fraudis; Ac si interdum contingeret, vt horum aliquis, quemadmodum sæpè euenire solet, Indulgentias, & miracula annunciare, aut contrà decretum Concilij Tridentini prædicare audebit, statim nobis ab Archipresbytero illius loci denuncietur, vt debitis pro qualitate delicti pœnis afficiatur.



De Falsis

De Falſis Teſtibus. Decretum XVII.



VI falſum teſtimonium in Iudicio dixerit contrà innocentem, ſiue in cauſa ciuili, ſiue capitis, vel vt dicatur, ſcienter effecerit, præter pœnas à ſęcularibus Iudicibus irrogandas, excommunicationis ſententia ferietur, à quo vinculo enodari nunquam poſsit, niſi famæ, ac facultatum iacturam meliori quo poterit modo reſarcierit.

Et quia frequens eſt in noſtra Diœceſi hoc malum, legatur hoc decretum vernacula lingua, tàm in noſtra Metropolitana Eccleſia, quàm in ſingulis noſtræ Diœceſis Parochijs ſingulis primis diebus Dominicis cuiuslibet menſis.

Eodem excommunicationis vinculo innodamus actuarios, ſubactuarios, Scribas, Notarios, Aduocatos, Cauſidicos Procuratores, ac cæteros quocunq; nomine nuncupentur, qui contrà conſcientiam, ac iuſtitiam, cum alterius partis offenſione, vel cum Vniuerſitatis detrimento, cuius permagni intereſt, ne delicta impunita ſint, in iudicio, teſtes fauore, vel pecunia corruperint, aut ſeduxerint, aut teſtium dicta non integrè, nec fideliter ſcripſerint, vel ſcribi fecerint, vel ad id efficiendum opem ferre, ac fauorem ſcienter præſtare præſumpſerint.

De Vſuris. Decretum XVIII.




RÆTER ea, quæ de vſuris in Prouinciali Synodo ſtatuta ſunt, hæc addenda putauimus. In primis omnes contractus vſurarios, etiam palliatos, irritos, & nullos eſſe ſtatuimus. Ideoq; vt nefarium hoc crimen pœnitus è medio tollatur; nullus Confeſſarius ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, audeat tales abſol-

vt ſors ſit ſemper ſalua, ſiue ad caput ſaluum, iuxtà conſtitutionem Fœlicis Recordationis Xiſti Papæ V. quam proptereà vulgari idiomate ter in anno in maximis ſolemnitatibus populo publicari præcipimus.

Et ne poſthac Notarij vllum ignorantiæ, aut excuſationis prætextum habeant, quin ſeuerè, ſi vſurarios contractus ſtipulauerint, iuxtà canonicas ſanctiones puniantur. Catalogum contractuum Vſurariorum, qui in noſtra Diœceſi frequentiores ſunt, in fine huius Synodi apponi curauimus quem vulgari lingua, prout iacet, qualibet vltima Dominica menſis Parochi populo publicandum curent.

Contra Concubinarios. Decretum XIX.

Seſſ.24 c.8.& 25. c.14.



CELESTISSIMVM concubinatus peccatum noſtris peccatis ità exigentibus, frequens, & radicatum in hac Diœceſi malum, omni via, ac ratione tollere vehementer cupientes, præſenti decreto ſtatuimus, vt in poſterum publici, atq; obſtinati concubinarij, & qui aliàs à nobis hac de cauſa publicè excommunicati fuerunt, licet deindè abſolutionem obtinuerint, non Deum, qui intima cordium perſcrutatur, quiq; ſicuti non fallere, ita nec falli poteſt, ſed nos, decipientes, nulla ratione iterum abſoluantur, abſq; facultate à nobis impetrata.

Nouerint prætereà concubinarij omnes, tam clerici, quàm laici, quod ſi poſt nouem dies à publicatione præſentis generalis monitionis, quos pro trina canonica monitione aſsignamus, mulierculas etiam non ſuſpectas è domo non expulerint, ſi e earum, quas extra ſuas domos retinent, conſuetudinem non deſeruerint, excommunicationis ſententia ſe eſſe feriendos.


Eccleſiaſticæ autem perſonæ, quæ ex huiuſmodi vitio infames fiũt, inhabiles in futurum ad dignitates, & beneficia, & ordines habeantur, niſi ſtatim paruerint.

Et vt omnis ſuſpitio ex Clero auferatur, ſub pœna ducatorum viginti quinque, quorum quinta pars denuncianti detur, reliqui verò noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ reparandæ applicentur; Præcipimus, ne vlus poſthac clericus in ſacris, ſiue beneficiatus mulierem aliquam, etiam vetulam, vel conſanguineam, etiam in primo gradu, abſq; noſtra

ſtra facultate in ſcriptis obtenta, apud ſe habeat. Qui verò non paruerint, infrà decem dies nobis ab Archipresbyteris denuncientur, qui ſi id neglexerint, grauiter à nobis punientur.

De habendis, & legendis huius Synodi Conſtitutionibus. Decretum vltimum.

TANDEM, vt ea, quę ſuperioribus decretis conſtituta ſunt, obſeruari poſsint: pręcipimus Rectoribus, & ſacerdotibus, vt infra mēſem, alijs verò, vt infrà duos menſes ab impreſsione pręſentis Synodi, illam apud ſe habere teneantur, & quę ibi pręcepta ſunt, obſeruare diligenter ſtudeant; Diſtrictè pręcipientes, ne alter alteri valeat commodare, atq; quoties in poſterum ad Synodum vocabuntur, ſecum deferant, ſub pœnis noſtro arbitrio reſeruatis; ſciantque ſe à nobis eo tempore ſuper ijs, quę hic ſtatuta ſunt exactè interrogaturos eſſe, & negligentes grauem incurſuros reprehenſionem: proindè ſacerdotes, ac Parochi pluries in anno eas ſtudiosè perlegant.



TANDEM omnia, quę in pręſenti Synodo ſtatuta ſunt, ſicuti & omnia noſtra conſilia, actionesq; omnes correctioni, emendationi, atq; iudicio Sanctiſsimi Domini noſtri Clementis Papę VIII. & Sanctę Romanę Eccleſię humiliter ſubijcimus.

mus ad hæc Sancta Dei Euangelia, quacunq; humana affectione postposita fideliter munus hoc exequuturos, nec quicquam prorsus occasione examinis nec antè, nec post accepturos, sic nos Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Formula Indictionis Synodi Diœcesanæ per Archidianum solemni die Assumptionis B. Virginis.

HOC anno dilectissimi ad Dei omnipotentis, Beatæq; Mariæ semper Virginis, ac S. Michaelis Archangeli, & B. Francisci de Paula Patronorum nostrorum laudem, Synodus Diœcesana die 18. mensis Octobris, adiutrice diuina gratia, in hac ipsa Metropolitana Ecclesia celebrabitur. Pijs igitur vestris precibus instate, vt & Ciuitas, & Diœcesis Consentina salutarem in Christiana disciplina reformationem amplectatur, ex eaque Sanctorum meritis suffragantibus, vberes Domino fructus afferat. Amen.

Formula di fare lo libro delli Cresimati.

A Di N. del mese N. dell'anno N. si è Cresimato N. figlio di N. & N. per il Reuerendissimo Monsig. N. Arciuescouo nella Chiesa N. Il patrino fù N.

Alle donne tanto le Cresimate, quanto quelle, che tengono alla Cresima si sono maritate, si giungano li nomi, & cognomi delli mariti.

Formula dello libro di Battezzati.

A Di N. del mese N. dell'anno N. fù battezzato da me N. Curato della Chiesa Parochiale N. figlio, ò figlia di N. & N. marito, e moglie, nato, ò nata à di N e gli fu posto nome Francesco, ò Antonio, li Patrini furono N & N. moglie di N.

Se non è nato di legitimo matrimonio, si può lasciare il nome del pa-

me N. Curato della Chiesa Parochiale di S. N.

E presenti N.& N.testimonij,& altri molti,la prima banditione fù fatta à di N. del mese N dell'anno N. di giorno di Domenica, ò d'altra festa;la seconda à di N del mese N dell'anno,che fù la tal festa;e così la terza à di N.&c. non essendosi ritrouato nessuno legitimo impedimento.

Formula dello libro de morti.

ADi N. del mese N. dell'anno N. morì N. e fù sepelito nella Chiesa di S. N. Parochiale, ò altra, fece testamento per mano di N. e fece alcuni legati pij,come in detto testamento si contiene.

Se non ha fatto testamento,si dica, morì senza testamento.

Formula di fare lo libro del stato dell'anime.

Prima si descriuerà il nome di chi sia la casa in questa maniera.

Nella casa di N habita.

Co.Ch. Gio. Antonio di Piatti.

Co.Ch. Margherita sua moglie.

Ch. Francesco suo figlio.

Antonia sua figlia.

A quelli poi,che sono atti alla communione si scriuerà questo segno Co.

A quelli,che saranno cresimati,si facci quest'altro segno Ch.

A quelli, che saranno cresimati,& atti alla communione, ambidue detti segni Co. Ch.

A quelli, che moriranno si facci vna †

Quelli che nasceranno,quando verranno à battezzarsi oltre di scriuerli nel libro del battesimo,si aggiungano al detto libro del stato dell'anime, sotto la sua famiglia.

Questo libro dourà ogni Curato farlo distinto, & separato da gl'altri,& presentarlo à Monsignor Arciuescouo ogni volta, che verrà alla visita.

Finis Decretorum Synodi Diœcesanæ Consentinæ.